Fridericus Hueffner

De Plauti Comoediarum Exemplis
Atticis Quaestiones Maxime
Chronologicae

DE PLAUTI COMOEDIARUM EXEMPLIS ATTICIS QUAESTIONES MAXIME CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS HUEFFNER
FORESTENSIS.

GOTTINGAE 1894.
APUD DIETERICHIUM.
(L. HORSTMANN.)

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Fridericus Leo.
Examen rigorosum habitum est
die XXV mens. Oct. a. h. s. XCIII.

Friderico Leoni

Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff

pietatis ergo.

Cum in omnibus fere aliis et Graecorum et Romanorum monumentis tractandis singula eorum tempora definire viri docti studuerint, ut quid ad sua saecula aestimanda valeant atque quae cuiusque auctoris indoles fuerit et quem ad modum exercita atque exculta sit, queat cognosci, de comoediis atticis, si Aristophaneas nec non paucas alias excipimus, in eam rem inquirere adhuc supersederunt. Neque id mirum. Nam cum eis subsidiis, quibus talis quaestio in ceteris scriptoribus magnam partem solet adiuvari, genere dicendi, compositionis arte, metrorum ratione, veterum denique de vita eorum atque operibus testimoniis, in comicis Graecorum poetis, quorum integrae fabulae nisi per Plautum Terentiumque servatae non sunt, destituti simus, sola quae in fabulis ipsis tractantur argumenta nobis auxilio esse possunt ad tempora earum definienda. Atque in ipsa hac re eo iniquiore fortuna utimur, quod talia, qualibus atticus poeta spectatores valde delectaverat, cum Romanorum fortasse nemo intellegere posset, saepenumero a poetis palliatae comoediae aut omissa aut mutata latinoque colore inducta sunt. Accedit alia difficultas. Terentii testimonio (Andr. prol. 18) constat Plautum non semper graeca exemplaria simpliciter transtulisse, sed interdum, ut Terentii invidorum voce utar, contaminasse. Etsi autem ab eorum partibus stamus, qui quam paucissimas fabulas ab illo ita compositas esse arbitrantur, qua de re hic non locus est disputandi, tamen tota haec quaestio tam non ad certum finem perducta est, ut contra de admodum multis adhuc philologorum sententiae varientur. Quamquam igitur fortasse nimis temerarii indicabimur, quod alienas fabulas ne pro una tractemus periculum facimus, tamen nobis proposuimus, quibus temporibus Plauti exempla attica docta sint, quantum fieri possit, expiscari.

Hoc tandem aliquando institui ad alias quoque quaestiones solvendas non potest non magni interesse. Sex fabularum qui graeci anctores fuerint, ex prologis vel didascaliis scimus, praeterea quattuor virorum doctorum sagacitate ad certos poetas relatae sunt, reliquae ad quos redeant, quamquam non defuerunt qui acri studio indagare experirentur, tamen cum saepius nimis lubricas vias inirent, nemini fere contigit, ut sententiam suam argumentis satis gravibus fulciret. Melius igitur de hac re iudicare poterimus, ubi quo quaeque tempore Athenis acta sit exploratum erit. Adde, quod eo si fundamento nitimur, facilius interdum erit cognitu, mediae quoque comoediae fabulas Plautus verterit, quae cum aliorum tum Meinekii (hist. crit. p. 303) sententia fuit, an solius novae*).

Atque in universum si duo illa graecae comoediae genera consideramus, novam potius quam mediam a Plauto translatam esse vel tota earum ingenia arguere videntur. Haec enim ut non secus atque illa magnam partem variarum personarum mores describendos sibi sumpsit, ita cum Aristophanea id commune habebat, ut non argumentis bene explicandis studeret, verum maximo opere elaboraret in certis suae aetatis hominibus, philosophis, poetis, rei publicae gubernatoribus, externis regibus populisque vel nominatim vel καθ' ὑπόνοιαν irridendis. Qua ab re ne in mythicis quidem argumentis, quae prae aliis videtur adamasse, prorsus abstinuit. Namque si harum fabularum fragmenta inspicimus, persaepe videmus deos aut heroas „de rebus Atheniensium deque eis, quos ridere volebant, tamquam probe sibi notis inter sese disserentes" (cf. Cobetus, obs. crit. in Plat. com. p. 124) nec improbabiliter statuere nobis videmur poetas tragicos, qui eadem argumenta serio tracta-

*) Mediam comoediam commoditatis causa eam dicam, quae ante Alexandri Magni in Persiam expeditionem floruit. Quamquam enim constat eam a nova primitus non tempore, sed re et notione discretam esse (cf. Kaibelius in Hermae vol. XXIV p. 57 sqq., Wilamowitzius Eurip. Herakl. I p. 134), tamen fieri vix potuit, quin Alexis mediae comoediae poeta in posterioribus fabulis Menandrearum ingenio eodem modo se accommodaret, quo Aristophanes in retractanda Pluto mutati tunc saeculi rationem habuerat.

verant, eis locis a comicis exagitatos esse, quibus hi secus atque illi narraverint*). Contra nova comoedia ut his quoque studiis nonnunquam incubuit, ita summam operae in eo collocavit, ut argumenta tantum non omnia e cotidiana Graecorum vita atque consuetudine desumpta bene excogitarentur festiveque expedirentur. Tales vero fabulas solas ad barbare reddendum idoneas fuisse nemo ignorat. Propter ipsam igitur atticae comoediae naturam facile aliquis suspicetur Plauti Terentiique exempla demum post Alexandri Magni tempora confecta esse. Scimus hoc de eis fabulis, quae de Menandro Philemone Diphilo Apollodoro desumptae sunt, unus Demophilus quo tempore fuerit ignotum est. Eodem ducit alia ratiocinatio. Plautum, quippe cuius non noverimus comoediam ante ultimos saeculi tertii annos scriptam, licet totius huius saeculi fabulae ei praesto fuerint, nihilo minus admodum probabile est eos tantum poetas atticos expressisse, qui tunc temporis inter praestantissimos et nobilissimos habebantur, dico Menandrum Philemonem Diphilum Apollodorum Carystium Philippidem Posidippum, quorum fabulae cum in aliis graecis civitatibus agi solebant tum Athenis, ex quo praeter quattuor aequalium poetarum una παλαιά doceri coepta est, rursus agebantur**). Confirmatur id a Gellio, qui II. 23 tradit Menandrum Apollodorum Philemonem Alexidem alios a palliatae comoediae poetis expressos esse. Cur autem Demophili aliunde ignoti Ὀναγόν transtulerit, ipse videtur significasse prol. v. 13: *Inest lepos ludusque in hac comoedia, Ridicula res est.* Quae cum ita sint, non temere faciemus, si eas fabulas, quarum neque auctores neque aetates scimus, nisi gravissima dissuadent, Athenis non ante expugnationem regni Persarum, non post bellum Chremonideum doctas esse contendemus.

---

*) Cf. Platonius p. XIV, 65 Dübn.: ἡ δὲ μέση κωμῳδία ..... ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἦλθεν et mox: μύθους γὰρ τιθέντες ἐν ταῖς κωμῳδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διεσύρουν ὡς κακῶς ῥηθέντας. Pracisse quodammodo Euripidem notum est.

**) Diserte id traditum est de Philemone Menandro Philippide Posidippo; cf. Koehlerus, Mitteil. d. arch. Inst. in Athen, III p. 130 et C. I. A. II 975.

Quae hucusque disputavimus, nescio quo modo toto colore, quo Plauti Terentiique fabulae inductae sunt, comprobantur. Videmus cives Athenienses omni maiorum virtute destitutos nec in re publica administranda versantes nec rebus exteris, quae etiam Philippi temporibus omnibus summae curae fuerant, studentes; Athenae non eae sunt, quae solae fere regem Macedonum diu prohibuerant, ne Graecia potiretur, nec eae, quae olim principatum inter graecas civitates obtinuerant cuiusque classes aliis nationibus auctoritatem suam interponere solitae erant, sed laudantur tantummodo ut sedes Musarum et nutrices Graeciae. Virtus habetur non rem publicam potentem reddere, verum agrum colere atque suam rem augere, itaque senes inducuntur agrestes parci morosi, adulescentes vero fere non virilibus ingeniis insignes, verum luxuriae amoribusque dediti atque ab armis abhorrentes, nisi ad summam inopiam redacti sunt. Altera ex parte ea tempora illustrantur, quibus clarissimae aeternamque gloriam praebentes res gestae erant et gerebantur, sua quisque virtute confidere discebat, laus bellica summi aestimabatur. Sic quod Pseudolus v. 590 dicit: *Eo sum genere gnatus: magna me facinora decet efficere, Quae post mihi clara et diu clueant* vel Tranio in Most. v. 775: *Alexandrum Magnum atque Agathoclem aiunt maxumas Duo res gessisse, quid mihi fiet tertio, Qui solus facio facinora immortalia?* eius modi voces aptissimas illas quidem, si a servolis pronuntiantur, ad delectandum neque romanus unquam poeta fingere poterat, nam prorsus abhorrent a Romanorum ingenio, nec facile graecus, etiamsi Alexandri Agathoclisque nomina neglegimus, ante horum tempora.

Idem statuendum est de militibus gloriosis. Qui ut ne a media quidem comoedia alieni ita celeberrimi fuerunt Menandri aetate et ab hoc ipso omnium maxime comoediis adhibiti sunt. Nec miramur his potissimum temporibus eos exstitisse, consentaneum enim est Alexandri Magni rerum memoria vel paucis post annis fabulose auctarum milites eius eo perductos esse, ut aut quae re vera praeclare gesserant semper iactarent, saepe in maius extollerent, aut quae ab aliis vel a nemine unquam facta erant sibi vindicarent. Itaque

vel propterea comoediae palliatae milites facile referas ad haec tempora. Accedit aliud idque gravissimum. Militis Gloriosi Plautinae exemplum atticum Ἀλαζών inscriptum erat. Hoc tum demum fieri potuisse, cum vana ostentatio solorum militum propria haberetur, quis est qui infitietur? Atqui ea virtute in antiqua comoedia praecipue sophistae demagogi vates poetae, in media coqui, milites in neutra earum nisi raro, contra in nova sola imprimis insignes depingebantur. Quare ceteros quoque Plauti milites, utpote qui plane eiusdem sint generis atque Pyrgopolynices, novae comoediae ascribere non dubitabimus. Atque profecto videmus omnia quae ab eis iactantur Philippi Macedonum regis tempora excedere. De singulis infra res erit, hic unum monere liceat. In Poenulo (v. 470 sqq.) Antamoenides sexaginta milia hominum volaticorum gloriatur se suis ipsorum pennis obtruncasse. Hoc si e. c. Antiphanes finxisset, iure sine dubio vocatus esset insulsus, immo tale mendacium non potuit vere ridiculum esse, nisi cum novae pugnandi rationes inventae erant, novas contra beluas, elephantos, dimicandum fuerat, nova hominum genera, Amazones, in historiis vulgo narratis circumferri coepta erant.

Sed haec hactenus. Cum militis persona nonnunquam coniuncta est parasiti, atque hanc unam parasitorum speciem solius novae comoediae propriam esse ausim affirmare. Testis est Menander ipse, cuius ex Colace militis et parasiti personas Terentius in Eunuchum suam recepit. Ibi enim Gnatho postquam condicionem suam luculentem praedicavit, dicit (v. 248):

ego adeo hanc primus inveni viam,

quae verba non aliter explicari possunt nisi ut Menandrum primum prima in Colace parasitum adsentantem suumque patronum contemnentem glorioso cum milite coniunxisse statuatur. Unde concludamus oportet Eunuchum Menandri — nam in ea quoque utramque personam fuisse inter omnes constat —, Disexapatontem, Alazonem post Colacem conscriptas esse. Aliud quoque parasitorum genus Ribbeckius (Kolax, Abh. d. sächs. Ges. 1884, p. 19) soli novae comoediae ascripsit, cum iratum atque ulciscendi cupidum parasitum a Diphilo inventum esse censuit. Ni fallor, nimis audacter. Nam cum haec persona

ut in Menaechmis Plautina ad oeconomiam fabulae aliquid conferre, non ipsa per se idonea videri potuerit, cuius mores describerentur, omnia autem fere mediae et novae comoediae fragmenta, in quibus de parasitis res est, ad Athenaei notam disputationem (VI 236 e sqq.) redeant, facile ea neglegi potuit*).

His praemissis ad Plauti fabulas ipsas accedamus. Sed antequam de singulis disputemus, pauca nobis liceat praefari de ratione, quam in eis tractandis secuti sumus. Omnia graecarum comoediarum argumenta exceptis eis, quae ex historia fabulari petita sunt, ad suae quodque aetatis res accommodata videntur. Scimus id de Aristophaneis, in quibus non fere explicantur nisi ea, quae novissime facta erant et spectatorum animos etiam tum sollicitabant; suspicio igitur minime temeraria est ut in ipsius comoediae atticae natura sita idem de Antiphaneis et Menandreis esse statuendum. Atque id pro fundamento quaestionum nostrarum posuimus**). Quodsi in Persa Plautina, ut exemplum promam, Persae, qui contra Arabes dicuntur belligerare, regni Persarum incolae intelleguntur, non potuit haec fabula non doceri ante Alexandri Magni expeditionem. Sed etiam longius procedi posse mihi videbatur. Quantum quidem perspexi, poetae Graecorum comici argumenta fabularum suarum exigebant ad earum terrarum res, in quibus quodque agi fingebatur. Non igitur probabile

---

*) Asinariae quoque parasitum Ribbeckius (Kolax l. l. Röm. Dicht. I p. 84) inter malevolos atque iratos numeravit. Potius patronum eius calumniatorem esse et ipsa fabula docet et nomen eius Διάβολος. Pro quo cum parasitus Artemonae factum mariti narrat, non id agit, ut Demaenetum ulciscatur — cuius rei causa nulla est —, sed ut Diabolo potestatem faciat Philaenium una cum Argyrippo possidendi, *nam ni impetro, regem perdidi* (v. 918). Eodem iure Phormionem Apollodoreae comoediae ulciscendi avidum arbitreris.

**) Valde gavisus sum, cum hoc opusculo iam absoluto vidissem Wilamowitzium in ind. schol. Gotting. 1893/4 p. 15 de ratione plane mecum consentire. Ceterum dissertatio mea ordini dudum oblata tota retractanda fuit, postquam Niesii de civitatibus graecis et macedoniis liber prodiit. Qua in re tantae utilitati mihi fuerunt notae Leonis et Wilamowitzii manuscripto meo additae, ut longe non omnia, quae eis debeo, eorum nominibus inscribere potuerim.

duxi quemquam veluti in Siciliam quaestus causa proficiscentem inductum esse, dum tota insula bellis vexabatur, nec Athenas navi redeuntem, dum classes hostiles portibus urbis imminebant. Confirmatam vidi hanc sententiam Menandri Adelphis priore a. 306 acta, ubi cum alios annos, de quibus et legatio Ambraciotarum et regis Demetrii mentio cogitare sinunt, propter res in Asia gestas atque oppugnationem Athenarum improbassem, gravissimum atque certissimum accessit testimonium allusio ad Demetrii in urbem introitum a. 307 factum. Ceteras comoedias saltem non dissuadere cognovi, nisi forte Menaechmos, sed ibi potius historiae Epidamni notitia explenda fuit ex fabula ipsa, cf. infra. Hanc igitur rationem secutus sum, si iusto audacius, gratum me habebit, qui redarguerit.

Iam eo ordine, si quidem ordinem dicas, de singulis fabulis disputabimus, ut priore loco eas tractemus, quibus miles aliqui gloriosus continetur, deinceps quanto cuiusque ad tempus definiendum plus effici posse videatur. Agmen ducat

Pseudolus.

Miles macedonius, Sicyone qui habitat, caculam suum praestituta die Athenas mittit, qui meretricem a lenone Ballione emptam quinque minis, quae restant, solutis abducat. Unde Usenerus (Symb. phil. Bonn. p. 593) conclusit militem fuisse Demetrii Poliorcetae, fabulam actam esse post Sicyonem captam, i. e. ca. a. 302. Huic opinioni complura obstare Wilamowitzius (Antigonos von Karystos p. 140) demonstravit ipse Pseudoli exemplum anno 309 vel 308 ascribens. Considerandum igitur est, num omnia, quae attulit, huic fabulae conveniant. Recte procul dubio contendit v. 532 Agathoclis virtutem laudari non potuisse, si is paucis ante annis re male gesta ex Africa in Siciliam redisset, Demetrius autem, quippe qui in conviviis Athenis habitis Ptolemaeum nauarchum, Lysimachum gazophylaca, Seleucum elephantarchum, Agathoclem nesiarchum vocare soleret (Athen. VI 261 b, Plut. Demetr. 25), tum in Graecia versatus esset ab omnibus civitatibus, quas modo liberaverat, summis laudibus elatus; recte etiam docuit

in annos 309 et 308 fabulam propterea bene quadrare, quia tunc ipsum Agathocles itinere in Africam facto Carthaginienses devicerat et ab Ophella Cyrenarum rege Eurydicae Atheniensis marito auxilium petiverat, deinde inter Carystios et Demetrium Phalereum Athenarum praefectum simultates non erant.

Aliud minus recte videtur disputasse contra Usenerum. Cuius de Polymachaeroplagide coniecturam sic refutare conatus est, ut militem Demetrii macedonium vocari non potuisse statueret, dum Cassander Macedoniae rex esset, Demetrius Poliorcetes ne appetivisset quidem regnum. Quaeritur igitur, quid significet miles macedonius. In eandem sententiam quam Wilamowitzius disputavit Ribbeckius, cum de militibus gloriosis locutus est, „*die in macedonischem, syrischem, rhodischem, kyprischem Solde standen*" (Alazon p. 34). Sed quando Rhodios censes mercennarios conduxisse, Euboeos sua sponte belligerasse — Euboicum militem in Epidico offendimus*) — et qui factum esse putas, ut apud Lucianum (dial. meretr. 15) στρατιώτης ὁ Αἰτωλὸς commemoretur, siquidem notum est Aetolorum civitates nunquam hoc tempore milites mercede conduxisse! Immo meo quidem iudicio constat macedonium militem in comoediis eum appellari, qui natione Macedo sit, quod qui refellere studebit, ei ante omnia explicandum erit, quo pacto apud Alciphronem III 58 ὁ Μαλιεὺς οὗτος στρατιώτης, III 16 τις Ἀκαρνὰν ἢ Μαλιεὺς μισθοφόρος, apud Lucianum dial. meretr. 1 Acarnanius miles, 15 Megarensis, 13 Aristaechmus Aetolus laudentur. Dubitari potest de Babylonio milite, qui in Truculento inducitur; atque eum quidem et ipse credo Babylonis regis latronem dici, quode vide infra. Iam vero Macedones non solum in Cassandri, verum etiam in Antigoni Ptolemaei Seleuci legionibus stipendia merebant, quare nihil prohibet, ne Cratesipolidis quoque inter milites tales fuisse arbitremur. Quamquam libentissime concedo in huius exercitu eos quoque Macedones fuisse, quos antea Alexander

---

*) Hunc quod Wilamowitzius im ind. schol. Gott. 1893/4 p. 14) in Euboeorum exercitu militantem, natu Rhodium appellavit, merae indulsit coniecturae.

maritus eius cum ab Antigono deficeret, acceperat a Cassandro *).

Wilamowitzii de tempore Pseudoli coniectura egregie confirmatur felicissimo F. Leonis invento, qui in Hermae vol. XVIII p. 563 Pseudoli verba v. 412:

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem erili filio

spectare ad Menandri Thesaurum rectissime evicit ex huius tabulae argumento a Donato ad Ter. Eun. prol. v. 10 narrato. Ubi cum senex avarus causam dicere incipiat his verbis:

Athenienses, bellum cum Rhodiensibus
Quod fuerit, quid ego hic praedicem?

bellum aliquod in Attica gestum, propter quod ille aurum se terra condidisse simulaverit, dictum esse oportet concludamus. Atqui Menandrea aetate, cuius de historia satis edocti sumus, unam novimus expeditionem, quam Ptolemaeus Antigoni dux a. 312 una cum Rhodiorum decem navibus ad Graeciam liberandam fecit. Ad hanc igitur spectare Menandri Thesaurum — nam Menandri comoediam Luscium Lanuvinum barbare vertisse inter omnes constat — C. Dziatzko in Fleckeiseni annall. phil. a. 1880 p. 811 sq. procul dubio recte suspicatus est atque accurate re perpensa intra annos 310 et 308 Athenis doctam esse enucleavit. Itaque cum Pseudoli auctor hanc fabulam respicere non potuerit, nisi novissime acta erat atque spectatorum Atheniensium memoria tenebatur, sequitur, ut Pseudoli exemplum sub idem tempus datum sit.

Tota haec de aetate fabulae argumentatio labefieret, si merito Niesius (Gesch. d. gr. und maked. Staaten I p. 287, 291, 309) Cratesipolidem ab Antigoni partibus stetisse iudicasset. Nam cum Polyperecho, qui paulo ante cum ea Sicyonem et Corinthum obtinuerat, a. 310 bellum contra Cassandrum paravisset Herculem Alexandri et Barsines filium in regnum Macedoniae se reducturum esse simulans et aut vere

*) Eos dicere voluit Wilamowitzius, ut mecum communicavit, cum sub finem adnotationis suae (Antig. v. Kar. p. 141) non satis accurate dixit „*die makedonische Besatzung von Sikyon.*“

aut aestate anni 309 contra eum profectus esset*), quonam modo, quaeso, Cratesipolidis miles, si haec quoque Macedonum regi infesta fuisset, Athenas convenire et meretricem emere potuit, mox caculam suum eodem mittere? Atqui Pseudoli tempus tam certo constitutum est, ut ea ipsa nisus haud iniuria fortasse res illorum annorum illustrare posse videaris. Qualibus in argumentis coniecturam suam posuerit, Niesius nusquam indicavit. Sed vel per se ea non est veri similis. Alexander Polyperchontis filius a. 315 cum ab Antigono defecisset, Peloponnesi praefectus a Cassandro creatus huius legiones obtinuit (Diod. XIX 64, 3: καὶ δυνάμεως ἀποδείξειν κύριον) atque anno post, cum hostilia oppida expugnatum iter faceret, a Sicyoniis quibusdam libertatem appetentibus occisus est. Copiarum eius imperium Cratesipolis usurpavit et Sicyonios rebellantes adorta oppressit. Cum igitur in eius exercitu eae quoque copiae fuerint, quas Alexander anno ante a Cassandro acceperat, verbo saltem marito in praefectura Peloponnesi successisse videtur, quamquam re vera suo nomine Sicyone et Corinthi dominavit militesque non tam Cassandri quam suae ipsius voluntati habuit addictos (Diod. XIX 67, 2: ἐδυνάστευε τῶν Σικυωνίων, ἔχουσα πολλοὺς στρατιώτας ἑτοίμους εἰς πάντα κίνδυνον). Certe autem non in Antigoni castra transiit; fac enim eam cum illo societatem inisse: nonne a. 313 totam Peloponnesum censere cogimur in illius potestate fuisse? Tenebatur Cratesipolidis Polyperchontis Aristodemi copiis, nihil audimus de Cassandri: nonne censes huius opes in ea funditus eversas esse? Cur igitur Telesphorus a. 313 eo proficiscitur? Vides de annis 314 et 313 Niesii sententiam collabi. Deinde Telesphorum cum Sicyonis et Corinthi dominis manus commisisse infra ubi de Curculione res erit exponemus. Minime vero Niesius perspexit Polyperchontis ingenium et inconstans et commodo lucroque prorsus deditum. A. 315 cum facere nollet cum inimicissimo Cassandro, a quo Graeciae imperio privatus erat, in Antigoni partes transiit ab eoque praefecturam

*) Sub finem huius anni Hercules necatus est Demetrio Phalereo Athenis archonte (Diod. XIX, 28).

Peloponnesi adeptus est. Quae ne ei tantam utilitatem tantasque opes, quas sibi ex ea redundaturas esse speraverat, pararet, prohibuisse videtur et Aristodemi, qui et ipse Antigoni dux erat, auctoritas et filii sui ad Cassandrum defectio, quare sociavit se cum Alexandri vidua et a. 313 cum Telesphoro nauarcho conflixit*). Quid eum a. 310 incitaverit, ut iterum contra Cassandrum arma moveret et Herculem arcesseret in regnum Macedoniae reducturum, non traditum est, vix fecit conscio Antigono; suspicor simultates ei ortas fuisse cum Cratesipolide, quae ei non nimiam concedere voluisset auctoritatem. Nec deest, quod huic opinioni faveat. Nam miramur profecto eum, qui paucis ante annis Corinthi et Sicyonis praesidiis imperasset, in Graeciam septentrionalem non per Isthmum invasisse, quamquam exspectare potuerit auxilium Boeotorum**), verum ab Aetolis petivisse, ut sibi transitum per Aetoliam permitterent (Diod. XX 20, 3: ἠξίου δίοδόν τε δοῦναι καὶ συστρατεύειν). Quod non aliam habet explicationem nisi ut Cratesipolis, quae et Corinthum et Megara tenebat***), socero iter per Isthmum intercluserit. Et hoc modo etiam perspicimus, quam ob rem a. 308 Sicyonem et Corinthum dediderit Ptolemaeo: maluit urbes in potestatem Aegyptorum domini venire quam in Polyperchontis. Quin etiam mea quidem sententia non nimis audacter fecerit, si quis eam ipsam arcessivisse Ptolemaeum erit suspicatus; nam certe non mihi soli opinor admirationi esse huius repentinum ab Asiae insulis in Graeciam transitum. Sed utut res se habet, qui Cratesipolidem cum Antigono sociatam fuisse nobis persuasurus est, opus erit afferat graviora argumenta. In quibus noli numerare, quod a. 307 a Demetrio Megara obsidente petivit, ut se conveniret: alia fuit mulier privata, alia Sicyonis domina et Corinthi****).

*) Postea quoque eum Antigoni praefectum fuisse Droysenus, qui in universum de his rebus rectius egit Niesio, contendit (Gesch. d. Diad. II p. 78), parum probabiliter.

**) Ei enim anno post, ubi cum Cassandro pacem atque societatem fecit, eum ne in Peloponnesum rediret prohibuerunt (Diod. XX 28, 4).

***) Sic videtur explicandum esse, cur Ptolemaeus Lagi filius a. 308 Megara quoque ceperit. De re cf. Diag. Laert. II 115 et Niesius p. 309.

****) Niesius quidem p. 309 docuit eam, cum a. 308 has urbes

Pro explorato igitur habendum est Pseudoli exemplum atticum aut a. 309 aut a. 308 doctum esse, nec nimii faciamus oportet, quod Agathocles v. 532 rex appellatur, quode vide Wilamowitzium.

Priusquam ad aliam fabulam transeamus, pauca adicere liceat. Quibus graecis poetis Plautus fabulas suas debeat magni nostra interest scire et viri docti variis rationibus conati sunt expiscari. Semperne iustam viam institerint, valde dubito. Sic respicientes, quam inter se similia fuerint multa novae comoediae fabularum argumenta et quam aequali ideo modo illae saepe exstruendae fuerint, vix quicquam inde lucramur, quod et in Mostellaria et in Trinummo senex peregre rediens occupatam domum invenit, in utraque de ea re a servo certior fit, in utriusque fine domum suam recuperat, nec nimio plus ex eis affinitatibus colligendum duco, quas inter Philemonis Thesaurum Phasma Emporum intercedere observavit Ribbeckius (Röm. Dicht. I p. 126). Quare haec missa faciamus. Philologorum autem est multo accuratius in Plauti fabulas inquirere, quam adhuc factum est, quo certioribus auctores earum enucleandi normis uti possimus. Atque quod ad Pseudolum attinet, Menandrum ipsum ad suam comoediam in v. 412 respexisse Leonis est suspicio (l. l. p. 564) eaque omnium simplicissima atque tanto probabilior, quod tali ratione ad alienorum fabulas poetas atticos adlusisse saltem non multis exemplis poterit comprobari *). Iam liceat mihi coniecturam proferre, qua, si recta est, Leonis sententia magnopere fulcitur. Omnium fabularum unaquaeque persona quid sibi velit, fas est nos quaerere, neque enim credi potest sine idonea causa ullam vel a neglegentissimo poeta usurpatam esse; immo si non argumento explicando inservit, attamen spectatoribus extra

Ptolemaeo tradidisset, retinuisse achaicas, cuius rei nec ratio apparet nec ullum exstat testimonium. Immo haec oppida ei iam dudum Telesphorus eripuerat et postea Ptolemaeus Antigoni dux occupaverat.

*) Unum suppeditavit mihi Wilamowitzius, ubi poeta auctoris nomen addidit, Ar. Lys. 158: τὸ τοῦ Φερεκράτους, κύνα δέρειν δεδαρμένην. Menandrum in Disexapatonte ad Alexidis Demetrium spectasse nego, cf. infra.

argumentum delectandis. Cur igitur in Pseudolo Callipho senex inducitur? Ad rem in fabula tractatam nihil valet. Nam quod v. 448 Simonem commovet, ut miti potius animo filium servumque adeat quam iratus increpet, sane levidense est, multo gravius, quod Pseudolus ab eo v. 547 petit, ut se in fallacia efficienda adiuvet, Callipho pollicetur v. 560, qua de re prorsus nihil deinceps audimus, nec minus supervacaneum fit, quod v. 552 in animo habet servi ludos spectare eique, si Simo promisso non steterit, argentum dare, neque enim usquam postea in fabula apparet. Facillime vero poeta hanc scaenam sic potuit instituere, ut Simo solus secum loquens prodiret deque filio corrupto querens, Pseudolus priusquam eum aggrederetur, ex angiporto eius verba suis interrumperet. Cur Calliphontem fabulae adhibuerit, docet eius cum Simone sermo. Videmus duos senes plane inter se diversos, alterum asperum severum parcum, alterum lenem urbanum elegantem, Simonem filii peccata vehementissime reprehendentem, excusantem Calliphontem, illum duro maiorum victui deditum, hunc ad leves praesentis saeculi mores inclinantem. Hae duae vivendi rationes ut inter se opponerentur eaeque senum Atheniensium, Atheniensis Menandri videtur proprium fuisse. Sic in Disexapatonte senes diversos induxit, alterum acerbissimum, faciliorem alterum pellectu, sic in Heautontimorumeno alterum convivii participem fecit, alterum ab omnibus vitae amoenitatibus alienum — quamquam in his duabus fabulis mores eorum non tam pulchre describuntur quam alibi —, eodem pertinet, quod et in Hypobolimaeo et omnium optime in Adelphis posteriore, quam Terentius reddidit, hilaris senex voluptatique obsequens opponitur moroso. Haec spectatoribus valde placuisse vel inde suspicari licet, quod Menander hac in re sibi constantissimus fuit; eidem studio — neque aliud poetae consilium possum excogitare — si Calliphontis persona debetur, Pseudolus quoque summa cum probabilitate ad Menandrum refertur *).

---

*) Berckius (opusc. II p. 744) quam ob rem hanc fabulam mediae comoediae ascripserit, saltem paucis verbis debuit indicare. Fortasse

Iam accedamus ad

Curculionem,

cuius argumentum in eo positum est, ut Phaedromi parasitus pecuniae mutuae rogandae causa in Cariam profectus ibi militem offenderit et in convivio anulum, quo tabellae Planesium liberaturae obsignandae sunt, ebrio abstulerit. Atque primum gravibus difficultatibus implicamur quaerentes quidnam Cariae nomine significaverit poeta. Vix notam Asiae terram: num enim credemus Curculionem solius argenti mutui rogandi causa, quod multo facilius ex vicino oppido petere potuerit, mare Aegaeum transisse atque brevissimo tempore, quadriduo intermisso Epidaurum revertisse? Nusquam audimus de navi, qua et hic et Therapontigonus advenerint, immo v. 363 suadere videtur, ut non ita longum spatium interfuisse statuamus inter Cariam et Epidaurum. Praeterea merito Koenigio (Quaest. Plautinae, progr. Patschkau 1883 p. 8) scrupulum movit, quod parasitus militem in foro dicitur offendisse (v. 336); Plautus igitur Cariam certe urbem putavit*). Adde, quod v. 443 Cares commemorantur ut remota atque longinqua natio, quam Therapontigonus subegerit, quod cum probabile sit a graeco poeta fictum esse (cf. infra), hunc quoque credemus Curculionem non illo fecisse proficiscentem, verum in oppidum aliquod Graeciae. Atqui tale non notum est, nisi quod Megarorum arcem Καρίαν nominatam fuisse Pausanias I 40, 6 memoriae prodidit; sed de hac cogitare nempe insulsum est. Ego nescimus, quod oppidum significaverit atticus poeta.

Iam autem certos temporis terminos in fabula ipsa inesse cum alii tum Wilamowitzius (Isyllos von Epidauros p. 37) cognoverunt. Parasitus a Lycone trapezita ob oculi iacturam derisus narrat se apud Sicyonem catapulta ictum esse, quo

---

propter coquum gloriosum. Fefellisse eum iudicium ex eis, quae de tempore Pseudoli exposita sunt, satis superque apparet.

*) Alidis quoque nomine significavit oppidum, cf. vs. 26, 510, 544, 547, 573, 590. Moneo hoc propter Brixium (adn. ad. v. 571 suae edit., 573 Sch.)

nobilem illam oppugnationem urbis a. 303 factam significari omnes inter se consenserunt. Hoc si recte se habet, apparet Therapontigonum Platagidorum Demetrio Poliorcetae auctoratum eo ipso anno Epidauri fuisse, quo hic hostium copias ex Peloponneso expulit. Scripta est igitur Curculio post a. 303. Alterum terminum Wilamowitzius posuit annum 295, quo Lysimachus eas terras, quae Antigono debellato et interfecto ei promissae erant, prorsus subegerat, id quod post ea, quae de Caria exposuimus, non iam valet in Curculionem. Sed fortasse non opus est hoc argumento. Quamquam enim poëta nusquam indicavit, quando Therapontigonus meretricem sibi destinaverit, Demetrii autem copiae etiam post a. 303, cum ipse in Asiam profectus esset, in Peloponneso praesidii causa relictae erant (Plut. Demetr. 31), tamen ultra proelium Ipsiacum ne progrediamur dissuadere videtur, quod illae inde ab hoc ipso ex omnibus paene Peloponnesi oppidis eiciebantur, adeo ut sola fere Megara et Corinthus in Demetrii potestate manerent. His vero temporibus vix arbitreris militem ei auctoratum Epidaurum venire potuisse. Nam pacis tranquillitate septentrionalem Peloponnesi partem usam esse proximis annis nemo credet, qui Demetrii copias in Isthmo collocatas fuisse respexerit; quod igitur Pyrrhus Demetrii dux a. 300, cum Athenienses et Aetoli bellum gererent cum Cassandro (cf. Droysenus Diad. II p. 241, Niesius p. 357), eorum rebus se non immiscuit, facile est explicatu: occupatus erat in eis oppidis, quae a Demetrio desciverant, recuperandis. Non omnia eum et qui ei successerit expugnasse inde intellegimus, quod Poliorcetes circiter a. 296 obsidione Messenes relicta nonnulla in suam potestatem revocavit (cf. Plut. Demetr. 33: *πόλεις τινὰς ἀφεστώσας προσαγαγόμενος*) *). Nimirum hanc ratiocinationem Curculionis tempori definiendo probabilem, non certam possumus adhibere, siquidem non edocti sumus de situ Cariae. Sufficiat igitur dicere poetam, si Sicyonis op-

---

*) Huc nescio an referendum sit illud Athenaei (X p. 415 a), quod Droysenus Diad. II p. 257 anno 295 tribuit.

pugnationem a. 303 factam in hac fabula significaverit, scripsisse eam uno ex proxime sequentibus annis.

His expositis reliqua percenseamus documenta, quae ea continentur, ac videamus, num conveniant illis. Nihil valet, quod vs. 438 sqq. Curculio iactat sese cum Therapontigono nudiusquartus ex India in Cariam venisse, quoniam talia unusquisque miles gloriosus sibi affingit. Idem trapezitae narrat vs. 442 sqq. illum

Persas, Paphlagonas,
Sinopas, Arabes, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam,
Centauromachiam et Classiam Unomammiam,
*Libyamque ⟨et⟩ oram omnem Conterebromniam**)

intra viginti dies subegisse. Priorem horum versuum partem usque ad *Rhodiam atque Lyciam* non solum ex exemplari expressam — id quod nemo opinor negabit —, verum etiam ad certorum factorum memoriam positam esse illud *Sinopas* satis superque demonstrat. An quisquam credet poetam atticum nationibus tantum non omnibus barbaris, quas a milite debellatas esse dixit, incolas urbis eiusque graecae additurum fuisse, nisi ei re vera non ita multo ante actam fabulam iniquo Marte pugnassent? Videamus igitur, quo Curculionis verba spectent.

Atque si miles *Persas* subegisse dicitur, non licet cogitare de regno Persarum ab Alexandro Magno expugnato, nam inepte poeta ceteras terras, quae huius regni partes erant, adiunxisset: dixit incolas Persidis provinciae. Unde recte Soltavius (Curculionis Plautinae actum III interpretatus est G. S., progr. Zabern 1882 p. 12) conclusit Antigoni et Seleuci contra Eumenem expeditionem (a. 316) significatam esse; nam etsi de altera quoque Persidis occupatione sub hoc tempus facta edocti sumus, eam dico, qua Seleucus a. 312 interiorem Asiam Nicanori eripuit, tamen Therapontigonum, cum Demetrii latro fingatur, quid simplicius statuemus quam etiam tum in eius

---

*) *Et* inserui cum Bothio; *conterebrom niam* E, *contenebrom |||| niam* B².

legionibus esse militatum? Praeterea unam contra Arabes expeditionem novimus a. 312 *) a Demetrio adversus Nabataeos susceptam, unam contra Rhodios (a. 305), duas contra Caras, quos Antigonus a. 313 et 312 subegit, omnes igitur ab huius copiis gestas: num dubitabimus cetera bella in Curculione narrata eisdem tribuere? *Paphlagonas* et *Sinopas* Soltavius ad idem Antigoni iter pertinere contendit, quo *Persas*, parum recte, neque enim veri simile est eum a. 317 ultra Noram castellum, ubi Eumenes obsidebatur, progressum esse **): immo subaudiendum est bellum a Ptolemaeo Demetrii filio adversus Cassandri legiones ***) a. 315 gestum, quo de vide Diodorum XIX 60. Porro *Syri* — si quidem haec vox sana est, cf. infra — aperte spectant ad Syriam a. 315 vel. a 312 expugnatam, *Lycia* aut ad eam expeditionem, quam Demetrius a. 305 contra Rhodios suscepit, aut ad bellum cum Asandro Cariae satrapa gestum — nam copulam, quam Plautus posuit, num atticum exemplum habuerit, incertum est —. In voce *Cretanos* Soltavius offendit grammaticis rationibus ductus, quia nemo unquam incolas Cretae insulae Cretanos appellasset, fortasse nimis subtiliter, nam praeterquam quod latine finitur, Sinopes quoque incolas nemo quod sciamus Romanus praeter Plautum Sinopas, nec quisquam Rhodi incolas Rhodienses nominavit exceptis Catone et Luscio Lanuvino ****). Sed est sane, quod scrupulum moveat. Quae adhuc parasitus gloriose praedicavit, omnia vidimus ad vera bella convenire eaque ab Antigono vel eius ducibus gesta; atqui in Creta per totum hoc tempus neque ab Antigono neque ab alio quoquam pugnatum est. Quae cum ita sint, fateor me vocem *Cretanos*

---

*) De tempore vide infra ad Persam.

**) De situ Norae cf. Droysenus Diad. I p. 158. 160, Niesius p. 228.

***) Cassandri nomen, pro quo Dindorfius et Droysenus Asandri substituerunt, Niesius p. 275 merito videtur Diodoro XIX 57, 4 et 60, 2 vindicasse.

****) Vix contra me attuleris Ovidium (ep. ex Ponto I 3, 67) Diogenem Sinopeum vocare et Gellium ubi Catonis orationem enarrat (VI 3) de Rhodiensibus loqui. Ceteroquin nuncupat Rhodios. Ethnico nomini Suetonius semel (Tib. 62) illam formam adhibuit.

aegerrime ferre atque eam emendationem, quam Kiesslingius (apud Ostermayerum de hist. fab. in com. Plaut. diss. Gryph. 1884 p. 38) excogitavit: *cretatos Syros*, i. e. τοὺς Λευκοσύρους mihi valde arridere. Quae si recta est, eidem Ptolemaei contra Cassandri copias expeditioni ascribenda est, cui *Paphlagonas* et *Sinopas*, ac profecto Diodorus l. l. narrat Amisum ipsius huius regionis vicinam a Ptolemaeo obsidione liberatam esse.

Hucusque omnia perspicua. Sequuntur nomina iocose ficta et partim ex historia Graecorum fabulari repetita, quae ad res illis temporibus gestas referre nimis periculosum videtur; quod inter ea exstat *Libyam*, offendit propter collocationem. Si sanum est, facile cogites de expeditione a Ptolemaeo Lagi filio adversus Libyae gentes a. 311 facta, de qua edocemur inscriptione Aegyptiaca (cf. Droysenus II p. 69); sed quamquam per se non offendimus in eo, quod Demetrii miles aliorum facinora sibi vindicat, tamen id hoc quidem loco parum veri simile videbitur considerantibus sola Antigoni legionum bella usque adhuc commemorata esse, unius ex eis, Ptolemaei dico intra annos 315 et 312 gesti, subtilissime singulas partes. Accedit aliud. Posterior loci pars — scil. inde a *Peredia* — certe partim, ut docent nomina Perediae et Perbibesiae, a Plauto ipso condita est, ni fallor, tota ad eum redit, neque enim graecus poeta Κενταυρομαχίαν terram ullam potuit nominare, quamvis iocaretur, nec habeo quod nomen *Classiae Unomammiae* ab eo profectum esse credam ab Amazonum non gente, verum exercitu derivatum, de *ora* autem *Conterebromnia* eo minus stat iudicium, quod ne Plautina quidem vox adhuc apte explicata est. Itaque *Libyam*, cum nec facile referatur ad res a Therapontigono Platagidoro gestas et exstet inter nomina, quae iocose ficta sunt atque romanam sapiunt originem, corruptum mihi videtur proque eo olim aliud exstitisse monstrum vocabuli et ipsum mere Plautinum.

Exposui pluribusque explicavi Wilamowitzii sententiam atque demonstrasse mihi videor omnia, quae in hac fabula insunt, ad annum 302 et proxime sequentes referri posse, dummodo ne in singulis nimis arguti simus. Posita est in eo, ut vs. 394 sq. oppugnatio Sicyonis a. 303 a Demetrio

Poliorceta facta significetur, ac facillime quidem et illi et ceteris viris doctis accidere potuit, ut nobilissimum eius rei exemplum sumerent, si fabulae conveniebat, cetera neglegerent. Sed complura, si paulo subtilius in fabulam inquirimus, sententiam supra explicatam reddunt dubitationi obnoxiam. Curculionem audientes exspectamus graves impetus adversus Sicyonem factos esse, obsessos acri studio moenia defendisse et sagittas catapultasque in aggredientes iecisse. Si Diodorum, Plutarchum, Polyaenum inspicimus, nil istorum. Urbem admodum difficilem esse ad expugnandum docuerat annus 315, quare Demetrius primum dolum excogitavit, quo Ptolemaei milites incautiores redderet (Polyaen. IV 7, 3), deinde noctu moenia transiit, arcem autem Sicyoniam non oppugnavit, verum ut sibi traderetur effecit praesidio metu tormentorum perculso (Diod. XX 102, 2) et pecunia corrupto (Plut. Demetr. 25). Urbis autem expugnatio non tam obsidionis ratione nobilis facta est quam eo, quod Demetrius eam in alium locum transtulit. Porro Curculionis verba (vs. 442 sqq.) consideranti mihi non id mirum videtur, quod Graeciae occupationis mentio non fit, nam eo Demetrius Poliorcetes venit liberator, sed miror equidem bellum cum Rhodiis male gestum commemorari, nobilissimam atque felicissimam in Cyprum expeditionem (a. 306) omitti. Ea autem praeclara facinora, quae Therapontigono ascribuntur, longe pleraque intra annos 316 et 312 gesta sunt, unum saltem non necesse est huic tempori abiudicari, unum tantum annum 312 excedere videtur. Atqui ea ab attico poeta, si quid video, eo consilio laudata sunt, ut et ad res vere gestas pertinere et quas ad res pertineant statim cognoscerent spectatores Athenienses*): num igitur credemus

*) Athenienses dico et Athenis unamquamque palliatae comoediae fabulam primo doctam esse existimo, nisi alia dissuadent. Quod Dziatzko in mus. Rhen. vol. XXIV p. 574 adn. 8 dicit: „*Die griechischen Dichter aber mochten infolge lokaler Interessen (etwa weil die Stücke in andern Städten als Athen zuerst zur Aufführung kamen) zuweilen einen andern Schauplatz statt des gewöhnlichen wählen,*" certe non satisfacit rei. Nam etsi nonnullas fabulas primo aliis in oppidis doctas esse non utique negaverim, tamen non solum Menander, verum etiam Diphilus Sinopensis, Philemo Syracusius, Apollodori et Carystius et Gelous fere Athenis de-

post a. 303 quemquam earum meminisse, quae ante decem plusve annos gestae erant? Denique tempori fabulae supra constituto minime videtur convenire, quod Therapontigonus Platagidorus statuam auream statuturus est, qua facta sua memoriae prodat, id enim in latrone Demetrii nec perspicimus, si paulo ante nec si paulo post proelium Ipsiacum Curculionem datam esse statuimus. Dices militem gloriosum semper, etiamsi nihil praestiterit, res a se gestas praedicare. Fateor, sed etiam hic teneo, quod supra posui, omnes novae comoediae fabulas quasi speculum praebere sui temporis, non igitur probabile duco ullum poetam Poliorcetae militem induxisse monumentum factis suis statuturum, cum omnium Graecorum animi vehementer incitati qualis summi inter reges discriminis exitus esset futurus exspectabant, nec magis paulo post quam Antigoni et Demetrii copiae gravissimam cladem acceperunt eorumque eversum est regnum. Immo aut fallor aut Curculionis locus scriptus est, cum bello aliquo ab Antigoni legionibus magna cum laude gesto pax non ita multo ante facta erat.

Alias igitur consideremus oportet Sicyonis oppugnationes. Atque de temporibus societatis Achaicae ne cogitemus, cum alia obstant tum militis condicio et facta; unus reliquus est annus 313, quo Telesphorum ab Antigono in Peloponnesum missum Sicyonem et Corinthum adortum esse etsi non ex-

---

gebant Atheniensique scaenae fabulas condebant. Quod Macho Alexandriae scripsit, non Athenis, id quam singulare habitum sit videmus cum inde, quod Athenaeo diserta commemoratione dignum visum est (VI 241 f.) tum ex epigrammate sepulchro eius inscripto (Athen. l. l. Anth. Pal. VII 708). Qui autem factum sit, ut modo Athenis, modo alibi rem fabulae tractari fingeretur, viri docti excepto Dziatzkone quaerere adhuc plane supersederunt. Atque de Amphitruone et Captivis res manifesta est nec dubitari potest de Milite Glorioso, quod vero Rudentis scaena Cyrenis est, Menaechmorum Epidamni, Curculionis Epidauri, Poenuli Calydone — de Naevii Tarentilla parum edocti sumus — id mea quidem sententia unam habet explicationem: cavebant poetae, ne pueri vel puellae a praedonibus rapti Athenas in urbem εὐνομωτάτην portarentur, inde eos auferri et postea agnosci facile patiebantur. De Cistellaria quid censeam, haereo: an docta est, dum Athenae obsidebantur, ut Menander eius argumentum alia in urbe agi maluerit?

pressis verbis traditum est, tamen satis certo modo perspicitur ex Diodoro (XIX 74, 2). Niesius quidem p. 287 et 291 Polysperchontem et Cratesipolidem, qui illas urbes occupaverant, ab Antigoni partibus stetisse contendit, id quod nullo testimonio comprobatur — conferantur, quae supra ad Pseudolum exposuimus —. Diodori locum accuratius inspicientibus contrarium videbitur effici. En ipsius verba: ὁ δὲ Τελέσφορος ...... ἐπῆλθε τὰς ὑπ' Ἀλεξάνδρου φρουρουμένας πόλεις, καὶ πάσας ἠλευθέρωσε πλὴν Σικυῶνος καὶ Κορίνθου· ἐν ταύταις γὰρ Πολυσπέρχων διέτριβε δυνάμεις ἁδρὰς ἔχων καὶ πιστεύων ταύταις τε καὶ ταῖς τῶν τόπων ὀχυρότησιν. Sicyonem igitur et Corinthum non potuit expugnare, quia satis magnis copiis defendebantur. Iam quid simplicius quam ut impetus in eas factos et frustra factos esse colligamus? Postea Telesphorus cum ab Antigono deficeret, commorabatur in agro Corinthiorum (Diod. XIX 87, 1: διατρίβων περὶ Κόρινθον), id quod Niesius pro sua opinione attulit, quo iure, periti iudicabunt: ego statuo illum tum occupatum fuisse in Corintho obsidenda.

Quodsi in eius exercitu Therapontigonum Platagidorum stipendia fecisse et Curculionem uno ex sequentibus annis doctam esse censemus, optime se habet non solum quod ille statuam auream ad aeternam sui memoriam dare sibi proponit, namque a. 311 pax conciliata erat inter Antigonum et Seleucum Ptolemaeum Cassandrum, verum etiam quod dimidiam partem nationum intra viginti dies subiecisse fertur. Etenim id ipsum *intra viginti dies* non illud quidem aurificis statera ponderandum tamen nos adducit, ut quam brevissimo tempore eum omnes hos populos in potestatem suam redegisse iudicemus. Denique vs. 442 sqq., quemadmodum supra monuimus, ita comparati sunt, ut de industria eos poeta atticus ad certorum bellorum memoriam condidisse videatur, atqui Sinopes, Persae, Paphlagones, Arabes, Cares, cretati Syri — si hanc lectionem amplecti licet — quo pertineant decem plusve annis post vix quisquam novisse poterat, paulo post a. 313 certe omnes statim perspexerunt. Curculionem igitur scriptam esse duco post pacem inter Antigonum Seleucum Ptolemaeum Cassandrum a. 311 conciliatam, cum Graeci de singulis belli

modo gesti expeditionibus per latrones ex militiis reversos edocti erant, scil. a. 310 vel 309.

Sed unum videtur impedimento esse. Lyciam non necessario a Ptolemaei ducis in Asia expeditionibus secernendam esse supra diximus, in India nulla est offensio, siquidem talia quivis miles gloriosus sibi ascribit, quid autem statuemus de Rhodia? Si quae hucusque disputavimus recta sunt, huius quoque terrae subactionem inserere cogimur inter res ab Antigoni copiis gestas. Neque id nimis difficile est. Nam cum Ptolemaeus dux tota Asia potitus sit multis proeliis commissis, non mirabimur eum cum Rhodiis quoque identidem conflixisse. Noli autem nimis in eo haerere, quod nihil de hac re traditum est, satis grave mihi videtur, quod Rhodii, qui per tota haec tempora id agerent, ut neutrorum partibus sese associarent bellantium*), nihilominus a. 312 decem naves cum Antigoni classe in Graeciam miserunt, id quod vix credo sua sponte facturos fuisse: coacti esse videntur a Ptolemaeo, fortasse brevi in insulam suam facta expeditione.

Denique ne quid omittam, Buechelerus in Woelfflini archio lexicogr. et grammat. lat. I p. 113 vestigium quamvis leve repperit, quod ad Menandream Curculionis originem ducere videtur. Plinium enim, cum de telino dixerit (N. H. XIII 13): *hoc multo erat celeberrimum Menandri poetae comici aetate*, colligere licet hanc vocem in Menandri fabulis repperisse, atqui eandem Buechelerus Curc. v. 101 certissimo vindicavit. Nimirum propter tale solum testimonium fabulam Menandro ascribere iusto audacius est.

Eodem modo quo Curculio ambiguas sententias excitare potest

Miles Gloriosus.

Antequam autem ad rem, quam tractare nobis proposuimus, aggrediamur, respiciendum est Plautinam fabulam ex duabus graecis contaminatam esse. Duo enim argumenta inter se plane diversa tractantur, quorum altero miles ludificatur,

---

*) Nimium contendit Niesius p. 275, cum eos a. 315 cum Antigono foedus inisse dixit. Rectius Droysenus Diad. II p. 154. Cf. Diod. XIX 58,5.

altero servus eius. Neutrum altero praeparatur vel continuatur, quin etiam diversae personae eis adhibentur, veluti Pleusicles in actu secundo locum nullum habet*). Ad Alazonem, qua ex Militem Gloriosum translatam esse prologus docet, pertinent prima scaena**), actus quartus, quintus, tertii pars, ad alteram ignotam fabulam actus secundus; reliqua tertii pars ad coniungendas illas facta est. Quae prologus de fallaciis adversus servum instructis narrat, ad actum secundum spectant, neque vero prior eius pars seiungi potest ab Alazone, namque exponendum fuit, qui factum sit, ut Philocomasium Palaestrio Pleusicles Ephesum venerint. Ad Alazonem igitur redit, quod Pyrgopolynices pro Seleuco rege latrones conscripturus est, Philocomasium ab illo Athenis Ephesum abducta est, Pleusicles magnae rei publicae causa Naupactum abiit, Palaestrio a praedonibus captus et militi dono datus est***).

---

*) De vitiis huius fabulae cf. Lorenzius in praefatione editionis, qui ut nonnulla nimis pressit ita in universum recte ratiocinatus est.

**) Qui hanc ex alia fabula sumptam atque a Plauto ceteris praemissam esse opinati sunt, veluti Lorenzius l. l. p. 32, vellem secum reputassent Militis exemplum Ἀλαζών inscriptum fuisse. Collocatio vero huius scaenae offensioni esse non debuit, nam quidni poeta Cistellariae exemplum Menandreum, Euripidis Iphigeniam Aulidensem, Aristophanis Equites secutus esse potest existimari?

***) V. 350 quoque utrum ad Alazonem pertineat necne antequam emendarent, ei ipsi quaerere debuerunt, qui Militem contaminatam putant; satis habuerunt *triennium* mutare, quia nimium esset. Res satis difficilis est diiudicatu. Exstat versus in aliena parte fabulae multoque melius ad eum referri videtur Palaestrionem, qui aditum in Philocomasii conclave patefecit eumque adversus conservum incitat, quam ad eum, cuius de frequentiore cum muliere consuetudine — tali quidem, qualis a Sceledro potuerit animadverti — nec vs. 123 sqq. nec vs. 974 sqq. cogitare sinunt. Dolemus nos nescire, quale alterius fabulae argumentum fuerit; fortasse ibi meretrix dudum apud militem habitabat et adulescentem vicinum, quem forte aliquando ambulans offenderat, amare coepit atque servum Palaestrionem oravit, ut sibi copiam faceret amatorem conveniendi pariete perfosso. Ac tum quidem *triennium* libenter feramus. (Quamquam me non fugit spatium trium mensium hoc loco optime se habere, nam „illic licet non plus tres menses noster sit, tamen nulli alii quam illi famulo in nostra meliust

Haec igitur consideremus. Pyrgopolynices in Seleuci regis usum mercennarios conducit, qui regnum eius tutentur (vs. 75 sq., 949 sq.). Seleucum Nicatorem esse in propatulo est, nam de serioribus temporibus propterea cogitari nequit, quod Ephesus inde ab a. 258 regni Ptolemaeorum urbs erat, ei autem Seleucis Antiochisque rivales et inimici semper fuerunt. Ergo Alazon post a. 306, ante a. 281 scripta est. Deinde Ephesi latrones Seleuco conduci non potuerunt, donec urbs in Demetrii potestate erat, ipse cum eo bellum gerebat. Cogitari igitur potest de a. 299, quo Demetrius cum Seleuco foedere et affinitate coniunctus contra Ptolemaeum de Coelesyria et Phoenicia certavit. Quamquam huic opinioni nescio an v. 950 repugnet, quo monemur Seleuci terris bellum illatum esse vel imminere; nam a. 299 eius milites in Coelesyriam ipsi irruperunt, non se defenderunt. Contra cetera bene conveniunt. Miles paulo ante Athenas advenerat indeque meretricem abstulerat, cum Demetrii classes in mari Phoenicio erant; Pleusicles autem magnae rei publicae causa Naupactum abierat, ac profecto audimus a. 300 Athenienses cum Aetolis foedus inisse et Elateam a Cassandro obsessam liberasse*). Haec igitur accurate inter se conveniunt, alio ducere videtur v. 950, qui ut fortasse non nimii pendendus ita negligi nequit. Accedit aliud. In prooemio docuimus graecam fabulam Alazonem inscribi non potuisse, nisi virtus ἀλαζονείας militum solorum propria facta esset, unde sequitur, ut haec persona saepe a novae comoediae poetis adhibita fuerit fabulis, cum Militis exemplum conderetur. Comparatis ceteris eam complectentibus non multum proficimus, quoniam tales certe iam altera saeculi quarti decade actae sunt, veluti Menandri Misumenos (cf. frg. 340 K.), ac ne inde quidem quicquam potest colligi, quod Pyrgopolynices haud pauca cum

---

familia"; sed *trimenium* nec latine formatum et certe a Plauto non scriptum est. Traditam igitur lectionem mutare non ausim, quoniam si ad alteram fabulam pertinebat, ille facile potuit oblivisci corrigere.

*) Ad hunc annum solum pertinere, quae Pausanias I 26, 3, X 18, 7 tradidit, recte observavit Droysenus II, 241, quem secutus est Niesius p. 357.

Menandreis militibus communia habet; id unum certum videtur eum inter posteriores novae comoediae milites esse numerandum.

Quae cum ita se habeant, ceteros Seleuci annos consideremus. Non probabile duco a. 282 vel 281 intellegi, quo is contra Lysimachum dimicavit. Quamquam non presserim, quod Atheniensibus quae tum cum Aetolis res fuerit ignoramus; sed Ephesi latrones ut sibi conducerentur Seleucus non poterat curare, dum urbs in Lysimachi potestate erat; quamquam autem in eo ipso bello ad illum defecit, tamen Pyrgopolynices iam aliquantum temporis ibi degisse censendus est. Vix deinde opus est monere ei quoque bello v. 950 adversum esse. Reliquus igitur est a. 287, atque eo Alazonem doctam esse profecto veri simillimum est*). Nam hieme a. 288 Demetrius Poliorcetes tam ingentes copias coegit, ut bellum contra ceteros reges parari neminem fugere potuerit. Tum igitur facile Seleucus milites conscribere poterat, qui regnum suum tutarentur, Ephesus Lysimachi imperio tenebatur cum Seleuco sociati, miles vero Pyrgopolynices a. 288 non est quod non Athenas venire potuisse censeatur, ubi etsi praesidium Macedonum collocatum, Piraeus ab Heraclide duce Demetrii occupatus erat, tamen totum Aegaeum mare quiete utebatur. Unum tantum incertum est, legatio Atheniensium ad Aetolos. At omnino ignotum reliquit prologus, qua de causa Pleusicles Naupactum abierit, fortasse iam a. 288 de defectione cogitabatur, quamquam Athenienses demum Demetrium ex regno expulsum esse certiores facti arma cepisse videntur contra eum. Si igitur ex argumento fabulae tempus definimus, optio data est inter annos 299 et 287.

Superest, ut de eis proeliis disputemus, quae parasitus militi in prima scaena vindicat. Ex exemplo attico ea aliquam saltem partem translata esse atque ad certa bella spectare vel id documento esse videtur, quod triginta Sardianos trucidasse dicitur. Pyrgopolynicem iam pridem inter Seleuci milites

---

*) Demum aestate a. 287 Demetrium regno Macedonum privatum esse Wilamowitzius ostendit Antig. v. Kar. p. 248.

fuisse ut credamus v. 25 commendare videtur, ubi expeditio Indica commemoratur (sed. cf. supra ad Curculionem), nec non tota fabula; at Seleucum cum Sardianis pugnasse neque usquam traditum est nec statuere licet ante bellum contra Lysimachum a. 283 inceptum. Fortasse quondam in huius exercitu militatus expugnationi urbis a. 302 interfuit, et tum quidem *Scytholatroniam* (v. 43) — ut recte emendavit Geppertus — intellegimus, quo nomine nempe Scythi in Europa incolentes significantur, nam de expeditionibus contra Asiae Scythos factis nihil scimus. Sed omnino ignotum est, utrum Scythorum mentionem Plautus in exemplari invenerit an de suo addiderit, vocem *Scytholatronia* certe ipse finxit. Nec minus incerta res est de centum et quinquaginta hominum, quos in Cilicia, et quingentis, quos in Cappadocia miles occidisse narratur, ubi saepius pugnatum est, de Macedonibus vero (v. 44) ne id quidem certa ratione diiudicare possumus, utrum regis Macedoniae copiae dicantur an eae exercitus partes, quas ex Macedoniis militibus compositas omnes reges habebant. Illud ut statuamus, id quod tota loci ratio suadere videtur, nunquam audimus Demetrium, ex quo regnum Macedoniae adeptus est, usque ad a. 287 ab ullo ceterorum regum proelio victum esse, nec facile cogitaveris de Cassandro. Omittamus igitur laborem et ingratum et inutilem ex his verbis certas res gestas enucleandi. Reliqui sunt vs. 13 sqq., ubi verbis *Neptuni nepos* Antigonus Gonatas describi nonnullis visus est. Si hoc concedimus, postulamus, ut Antigonus aliquando imperator summus ante a. 287 pugnas commiserit; verum enim vero nisi a. 290 exercitui non praefuit, cum Thebanos devinceret; num autem statuere licet Pyrgopolynicem unquam Macedonum regi fuisse auctoratum? Vix deinde opus est, ut moneam in hunc neque nomen Βομβομαχίδης cadere neque Κλυτομηστωροδυσαρχίδης (quod probabiliter restituit Ritschelius). Immo si haec verba ex attica fabula sumpta sunt, quode valde dubito, eisque certus imperator ridetur, notum eum apud Graecos et singulari virtute bellica clarum cogimur existimare, in voce vero *Neptuni nepos* nihil subtilius quaerendum est. Antigono ipsi dubito an nunquam hoc nomen datum sit, interpretes inde concluserunt,

quod pater eius Demetrius Neptuni filius appellari solebat. Qui autem talibus argumentis nititur, nonne ei licet Pyrgopolynicis quoque nomine putare Antigonum cavillari? nam ille v. 1265 se Veneris nepotem esse praedicat (cf. vs. 1413 et 1421), Demetrius autem Neptuni et Veneris filius habebatur. Quare haec missa faciamus. Denique cum etiam nomen camporum *Curculioniorum* — vel quoquo modo scribitur — sine dubio a Plauto fictum sit, quid in exemplari fuerit, nos ignoremus, dicendum est de Pyrgopolynicis proeliis, seu ipse commisit seu alii, nos certiores non fieri.

Deinde disputemus de

Truculento.

Stratophanes miles Babylonius appellatur, quem num e Babylonia terra ortum esse statuam me dubitare supra professus sum. Id enim potissimum mihi scrupulum inicit, quod asiatici homines certe non crebro illis temporibus in alienorum imperatorum exercitibus mercede stipendia meruerunt, nedum in attica comoedia inducerentur meretrices atticas depereuntes suasque pugnas praedicantes. Stratophanem igitur Graecum iudico Babylonis domino auctoratum, qualis iam in Philemonis Babylonio descriptus erat.

Antigoni an Seleuci latro fuerit, ex vs. 90 sq. possemus diiudicare, si de Lemno melius edocti essemus. Etenim quoniam Diniarchus *cum publico imperio* eo profectus est, sequitur, ut insula tum sub Atheniensium potestate fuerit. Certe id evenisse scimus a. 306, quo tributa inde Athenas redisse titulus atticus nuper inventus docet*); sed iam antea idem esse statuendum, cum fuerint qui post bellum Lamiense insulam Atheniensibus ereptam esse contenderent, efficit alter titulus**), in quo quamvis mutilo Athenienses quin coniuncti cum Lemniis nominentur, vix licet dubitare***). Haud neglegendum praeterea est Demetrium Poliorcetam a. 307 Imbrum Atheniensibus

---

*) Cf. Koehlerus, Mitt. d. Athen. Inst. V p. 268 sqq., Dittenbergerus syll. inscr. gr. 130.

**) C. I. A. II 268.

***) Vide Koehlerum ad h. l., Droysenum I p. 81.

restituisse, ubi Lemni mentio nulla fit (Diod. XX 46), atque a. 314 non modo Dionysium Munichiae praefectum, verum etiam Demetrium Phalereum a Cassandro expeditionem eo facere iussum esse, ut Lemnienses ab Antigoni societate revocaret (Diod. XIX 60), id quod vix factum esset, nisi insula imperio Atheniensium fuisset addicta*); qui quamquam etiam aliis Cassandri expeditionibus interfuerunt, tamen sua ipsorum classe eos quicquam molitos esse, dum sub huius imperio fuerint, probari nequit. Plane incertum est, quando insula eis erepta sit. A. 283 Seleucus cleruchos πικρῶς ἐπιστατουμένους ὑπὸ Λυσιμάχου οὐ μόνον ἐξείλετο, ἀλλὰ καὶ τὰς πόλεις αὐτοῖς ἀπέδωκεν ἀμφοτέρας (Athen. VI 254 f.); etsi igitur etiam tum Lemni habitabant, tamen res publica Atheniensium insulam non iam possidebat. Id demum paulo post annum 283 denuo factum esse nuper A. Wilhelmius in Hermae vol. XXIII p. 460 sq. demonstravit. Quando autem ante a. 283, quando post Lemni imperio privata sit, de ea re cum ne levissimum quidem testimonii vestigium supersit, nostris opibus discernere nequimus.

Plura docent vs. 531 sq., quos cum alii insiticios arbitrati sint et ipse quoque diu de Plautina eorum origine dubitaverim, genuinos esse nunc non possum quin assentiar Buechelero (in Schoellii praef. p. XLV). Non satis faciunt quae contra eum Ussingius attulit, dummodo ne neglegamus cod. B in v. 531 *istae* ante *reginae* habere, quod C D sine dubio per errorem omiserunt. Restituatur igitur verbum et scribatur:

Is te dono. Adduce hoc tu istas. Sed istae reginae domi
Suae fuere ambae; verum earum patriam ego excidi manu.
Is te dono **).

Earum, quod Seyffertum secutus in v. 532 inserui, facile a librariis praeteriri potuit propter ὁμοιοτέλευτον. Quod igitur Stratophanes Syriam se expugnasse gloriatur, terra cum nota

*) Cf. Droysenus II p. 24 et 25.

**) Bellissime poeta fecit, ut miles ancillas taeterrimas et foedissimas ut quondam reginas proponeret. Id quoque Plauto vel potius graeco auctori quam interpolatori tribuere quivis malet.

sit, non dubitabimus, quin verbis eius aliquid veri subsit: dicta est occupatio Syriae post pugnam apud Ipsum commissam a Seleuco facta; nam de serioribus temporibus, quibus Syria identidem a Ptolemaeis capta est, cogitari vetat Lemni mentio, quam insulam ne post a. 283 quidem diu in Atheniensium dicione mansisse recte monuit Wilhelmius l. l. Simul cognoscimus Seleuci esse militem Babyloniensem. Qui quoniam iam novem mensibus ante Athenis fuisse fingitur, fabula non potuit doceri ante a. 299; alter terminus est a. 297, modo statuere liceat demum post ver huius anni Demetrium urbem aggressum esse.

Cetera quidem, quae Stratophanes narrat, ad tempus fabulae cognoscendum nihil credo facere. Neque enim eis assentiri possum, qui eum res a se gestas praedicare arbitrantur. An re vera in Phrygia se pugnasse indeque pallam praedatum esse, ex Arabia tus, ex Ponto amomum*) abstulisse potuit gloriari? Immo peregre aut in Asia aut alibi eas res coemit, quas quaeque terra optimas ferebat. Sic Phrygiae pallae nobiles habebantur, tus Arabicum ubique venibat, ancillas quoque mercatus est, quamvis, ut est militis gloriosi natura, captas a se esse iactet, servi autem Syri aliis praeferebantur, quia *Surorum genus patientissimum* erat (cf. Trin. 542).

Denique quod Schmitzius Menandri Thaidem, F. Schoellius eiusdem Sicyonium a Plauto redditam esse affirmaverunt, vix opus est moneam mihi neutrum probari. Hoc Ribbeckius (Alazon p. 79 sq.) satis refutavit, illud in sola similitudine positum est, quae intercedit inter Thaidis et Phronesii mores (cf. F. Schoellius, divin. in Truc. p. 16 sqq.).

Porro gravibus difficultatibus implicamur quaerentes, quando

Poenulus

graeca acta sit. Ante omnia dicendum est Plautum non unam fabulam, verum duas dimidiatas barbare vertisse. Quod omnibus fere viris doctis olim probatum qui refellere studuit et actu quarto ante secundum posito rem bene expedire sibi

---

*) Assumpsi emendationes Buecheleri.

visus est Goetzius (in ind. schol. Jenens. 1883), cum ita refutavit Langenus (Plautin. Stud. 1887 p. 188 sqq.), ut vix iam quisquam dubitare possit de contaminatione. Idem recte statuit priores tres scaenas ad ignotam quandam fabulam pertinere, posteriores duas ad Carchedonium, unde Poenulum translatam esse prologus docet.

Quando autem Carchedonius Athenis docta sit si quaerimus, solus v. 1272 ansam dat, quo Apellam mortuum esse docemur, sed de eius aetate nihil fere constat nisi diadochorum tempora eum attigisse. Nihil deinde ex eo consequitur, quod leno Anactorio paulo ante Calydonem transmigrasse fertur, namque haec duo oppida perpetuis bellis inter Acarnanes et Aetolos gestis non tangebantur. Praeterea unam novae comoediae fabulam novimus Καρχηδόνιος inscriptam, Menandream, cuius quod fragmentum nullum Poenulo convenire videtur, non nimii fecerim, siquidem magna pars Carchedonii periit. Sed res plane incerta.

Etiam minus firmum iudicium de ea fabula ferri potest, quam Plautus Carchedonio admiscuit. Unicum enim vestigium, quod ad tempus cognoscendum aliquid valere putaveris, nullum est. V. 663 advocati lenoni narrant Collybiscum vilicum latronem Spartae fuisse apud regem Attalum indeque, quoniam oppidum captum sit, aufugisse. Atque Plauti temporibus spectatores non noverant nisi Attalum primum, qui nunquam ibi pugnavit. Deinde Spartam si Plautum ex exemplo sumpsisse credimus, aut Demetrii expeditio a. 294 aut Antigoni a. 285 facta commemoratur, qua de cf. Wilamowitzius Ant. v. Kar. p. 258 sq., Niesius p. 387. Atqui a. 294 Sparta non capta est, verum Lacedaemoniis ad Eurotam fugatis Demetrius de rebus Macedonum certior factus statim recessit, de a. 285 autem nihil scimus nisi Antigonum rem bene gessisse: urbem expugnatam vix credo ullum historicum silentio praeteriturum fuisse. Quid quod Spartani, donec Lycurgi institutis utebantur, milites mercennarios omnino non videntur habuisse. Statuere igitur cogimur Attali et Spartae mentionem a Plauto additam esse*).

---

*) Retractationis ab histrionibus factae vestigia in his versibus

Quamobrem id fecerit, apparet: respexit ad bellum a. 195*) a Flaminino et Eumene cum Nabide urbis tyranno gestum: Attalum igitur pro Eumene nominavit**). Denique quaenam urbs in exemplari dicta fuerit cum nesciamus, de huius fabulae tempore nihil nos expiscari posse profitemur.

Subsequatur

Bacchides,

quam ex Menandri Disexapatonte expressam esse Ritschelius (Parerg. p. 405 sqq.) demonstravit. Mnesilochus adulescens Atheniensis biennio ante Ephesum profectus litteras ad sodalem Pistoclerum dedit, ut amicam investigaret, quam miles quidam ex Samo Elateam abducturus esset. Ac primum quidem suo iure miratus est Langenus (Plaut. Stud. p. 111), quod Mnesilochus biennium a patria afuisse fingitur, quippe cum solius pecuniae exigendae causa a patre Ephesum missus sit (vs. 249 sq.) Quid quod nuper Anspachius in Fleckeis. ann. phil.

---

inesse Ostermayerus (de hist. fab. in com. Pl. p. 62) statuit futilibus nisus argumentis.

*) A. 195 dixi, quamquam alteri quoque contra Nabidem bello a. 192 Eumenem interfuisse edocti sumus titulis Pergamenis (cf. Fraenkelius, Inschr. v. Perg. n. 62, 63). Sparta neutra in expeditione vere expugnata est; a. 195 cum Flamininus accensis extremis urbis aedificiis coactus esset recedere, Nabis pacem impetravit, a. 192 Philopoemen sine caede videtur eam intrasse, ut colligere licet ex Livio XXXV 37, 1 sqq; qui cum ex Polybio summo Philopoemenis laudatore pendeat, huius res bellicas, si quae gestae essent in occupanda Lacedaemone, vix silentio praeterisset. Id igitur nihil valet; rem conficit v. 524, quem ad romanum poetam referre nemo dubitabit; nam a. 192 imminebat bellum cum Antiocho, a. 195 Nabide devicto Flamininus Graeciam pacaverat eiusque res constituerat. Haud inutile praeterea erit monere de altero bello vix cogitari posse propter Aetolorum ducem Nabidis interfectorem et huius milites vindices necis. Aliter censuit Teuffelius (Stud. und Charakterist. p. 275) Lacedaemonem a. 189 captam esse ratus; sed cf. Fraenkelius l. l. p. 49. Igitur Poenulus Plautina acta est post primum, ante alterum cum Nabide bellum, puta a. 194.

**) Eundem errorem admisit Suetonius (rhet. et gramm. 2, p. 100 Reiff.), cum de Cratete Attali regis legato locutus est. Contrarium fecit Iustinus 27, 3 Eumenem pro Attalo nominans.

a. 1889 p. 355 sqq. eo processit, ut Plautinum hoc inventum esse, poetam Sarsinatem ad certum imperatorem romanum biennium peregre versatum adludere, Bacchides non a. 189, ut vulgo putabatur, verum demum a. 187 Romae doctam esse contenderet. Sed quamvis multis testimoniis ex Romanorum historia petitis sententiam suam fulcire studuerit, tamen apud Menandrum adulescentem brevius temporis spatium a patria afuisse quam apud Plautum aegre mihi persuaserim*). Nam si argentum solum inveniundum fuit, quo Nicobulus circumduceretur, quidni poeta fecit, ut paucos tantum dies domo abesset? Diutius eum peregre versari non propter senem necesse erat, at propter fabulam. Opus erat, ut Mnesilochus aliquantum temporis Sami commoraretur, ubi Bacchidem et militem Cleomachum cognosceret, opus erat, ut satis diu Ephesi maneret, nam si inde argento exacto statim redisset, non intellegeremus, qua de causa epistulam ad Pistoclerum misisset, opus erat, ut Bacchis iam multo antequam Athenas adveniret, militi in Samo addicta fuisset; neque enim iam argentum habet, quod ei reddat (quamquam id quidem non magni fecerim). Diutius adulescentem domo abesse senis ipsius verba v. 237

nostrum tam diu
Ibi desidere nec redire filium

docent et confirmat Chrysalus, qui gaudio reditus elatus vs. 170 sqq. Athenas et Apollinem salutatur, id quod vix fecisset, si paucos dies caruisset patria erili**). Quare gravioribus uti

---

*) Quamquam de Bacchidibus Romae acta hic res non est, tamen profiteor Anspachium mihi opinionem suam non probasse. Complurium versuum, qui optime intelleguntur, si nihil subtilius in eis quaeritur, artificiosam et contortam interpretationem excogitare coactus est, veluti vs. 1072 sq., 315 sqq., 321 sqq. Omnino nullum eorum locorum, qui historiam romanam illustrare ei videbantur, necessario Menandro abiudicandum esse concedo et de aliquot ipse Anspachius fassus est. De singulis hic non possum disputare.

**) Hos quoque versus documento esse iudico Bacchides ex fabula Menandri civis Atheniensis patriae amantissimi expressam esse, cf. Stich. 649 sq., Naucleri frg. 349, Alciphr. II 3.

debebit argumentis qui in Menandri quoque fabula adulescentem biennium a patria afuisse negabit.

Iam Disexapatontis aetatem investigaturis id potissimum molestum est, quod nec scimus, qualis miles sit Cleomachus, nec quam ob rem Elateam proficiscatur. Fortasse mercennarios conducturus est, fortasse aliud agit. Temporis vestigium Leoni visum est inesse in vs. 911 sq.:

Satin est, si plura ex me audiet hodie mala
Quam audivit umquam Clinia ex Demetrio?

quos in Hermae vol. XVIII p. 559 sic explicuit: *Demetrius fortasse Phalereus est, Clinias incertus aliquis, rhetores ambo et insigni exemplo in comitio iudicante alter ab altero conviciis profligatus*, cum Fritzschius et Toeppelius (de fragm. com. gr. quaest. crit. spec. III, progr. Neobr. 1867 p. 9 sqq.) personarum ad Alexidis Demetrium vel Philetaerum a Naevio translatam pertinentium nomina dici iudicaverint. Demetrium enim in ea *adulescentem fuisse bene moratum, amicum Cliniae, iuvenis luxuriosi, quem ille gravi et benigna adhortatione ad modestiam et prudentiam revocare studuerit.* Quae opinio non probabilior facta est eo, quod Kockius, cuius interpretationem exscripsi (Com. Att. II p. 313), Plauti fabularum satis imperitus ei patronus exstitit. Nolo equidem multus esse in refellendo Fritzschio: falso eum ratiocinatum esse quam certissime ipse locus Plautinus docet. Vide enim, quam non is Demetrius, qui in Cliniam summa mala ingerat, ei conveniat, qui amicum gravi et benigna adhortatione ad temperantiam revocare studeat: quin Demetrius re vera maledictis et iurgiis lacessivit Cliniam, nec dubitari potest, quin Chrysalus Mnesilochum vituperaturus ad graviora potius quam minora respexerit. Deinde illud *umquam* in v. 912 non licet intellegere de fabula semel bisve data. Itaque de Naevii et Alexidis Demetrio actum est, illius vero significatam esse non debuit statuere Fritzschius, antequam et eius ipsius et actae Bacchidum aetates considerasset. Quo autem Chrysali versus pertineant, nescio; nam nec facile cogitaverim de Demetrio comico Menandri aequali Cliniae cuidam de pulpito maledicente nec Leonis coniectura valde illa quidem mihi arridens eius modi

est, ut ea nisus certi quicquam audeam affirmare, antequam qualis ille fuerit Clinias exploratum sit.

Dicemus igitur Disexapatontem Menandri conditam esse, cum mare Aegaeum classibus infestis non tenebatur, Athenae, Samus, Ephesus pace utebantur, transitus ab Attica in Phocidem non praecludebatur. Potuit igitur doceri inde ab a. 316 — nam respiciamus oportet Mnesilochum biennium peregre versatum esse — usque ad a. 307; atque fateor id mihi omnium probabilissimum videri propter Demetrii mentionem, quam non posse ad Poliorcetam pertinere nemo infitiabitur, cogitari tamen potest etiam de annis 298, 297, 292.

Plura perspicere sinit

Epidicus.

Argumentum in eo versatur, ut Stratippocles adulescens, qui paulo ante cum aliis Atheniensibus Thebas ad legionem profectus erat, urbe expugnata reversus virginem captivam de praeda empturus sit, quod ut efficiatur, Epidicus servus per fallaciam a sene argentum aufert. Quaeritur igitur, quaenam Thebarum expugnatio dicatur. Atque de a. 334 cogitari nequit, quoniam tantum aberat, ut Athenienses obsidendae urbi interessent, ut contra ei succursuri fuerint, nisi Alexander praevenisset. Nec magis fabula ad a. 312 pertinet, quo Ptolemaeus Antigoni dux praesidium macedonicum ex Cadmea arce expulit. Nam quamquam veri non dissimile est Thebanos tum a Cassandri partibus stetisse*), Athenienses autem societatis faciendae gratia legatos ad Antigonum miserant, tamen neque eos Ptolemaeo auxilia misisse credi potest**) et

---

*) Id ut statuam commovent me perpetuae simultates inter Thebanos et ceteras Boeotiae civitates ab avorum memoria repetitae et per totum hoc tempus propagatae, quas tum nondum positas esse facile tibi persuadebis, ubi consideraveris Cassandrum paulo ante cum Thebanis foedus, cum ceteris Boeotis indutias fecisse (Diod. XIX 77) et postea Ptolemaeum Oropum Boeotis reddidisse. Demum a. 294 Thebani cum ceteris Boeotis faciunt.

**) Tenendum enim est eos, qui a legione redisse dicuntur vs. 206,

Thebas, cum Epidicus docebatur, iam multos annos restitutas fuisse inde apparet, quod ibi Philippa filium postea captum peperit (v. 636: *natam Thebis, Epidauri satam*). Restant igitur duae expugnationes, altera a. 293, altera a. 290 facta, quarum utraque ut ad hanc fabulam referatur habet quo commendetur.

Demetrius Poliorcetes cum a. 294 e Graecia abisset, ut regno Macedonum potiretur, Thebae, quo Lachares profugerat, Cleonymum Lacedaemonium cum exercitu advenientem exceperant ceterasque Boeotiae civitates commoverant, ut pacem paulo ante cum Demetrio conciliatam dirimerent. Qua re cognita is initio anni 293 ex Macedonia profectus brevi tempore et Boeotiam subegit et Thebanos ad deditionem coegit atque magna praeda deportata praesidiisque in urbibus collocatis revertit in Macedoniam. Sed cum paulo post in Thraciam expeditionem faceret, Boeoti denuo defecerunt et ab Antigono Gonata ita debellati sunt, ut Thebae solae resisterent atque demum a. 290, cum Demetrius acri studio satis diu oppugnasset, caperentur (cf. Wilamowitzius Ant. v. Kar. p. 242, Niesius p. 366 et 369 sq.).

Atque ad Epidicum et a. 293 et a. 290 referri posse elucet, quoniam iam inde ab a. 294 Athenae praesidio macedonico in Museo collocato sub Demetrii imperio tenebantur*). Non attulerim pro anno 293 Athenienses Lachari Thebis versanti inimicissimos fuisse, nam vix magis favebant ei, qui ipsorum urbem antehac liberam militibus suis occupaverat; atque ut dicam quod sentio, mihi non probabile videtur eos sua sponte auxilia adversus Thebas misisse, verum potius imperante rege Macedonum. Multo gravius est, quod priorem Boeotorum seditionem Demetrius Poliorcetes tam brevi tem-

---

208, 210 sqq., non mercennarios esse, quales fere in comoediis inducuntur, sed Atheniensium copias (v. 212: *filios suos quisque visunt*), quas civitas ipsa obsidentibus subsidio miserit; nam urbe dedita statim domum revertuntur.

*) Hoc recte contra Droysenum ostendit Wilamowitzius l. l. p. 239. Illi assensus est Holmius, Gr. Gesch. IV p. 67.

pore oppressit, vix ut ei opus fuerit copiis Athenienium. Contra a. 290 Thebae certe complures menses obsidebantur, Demetrii autem exercitus relictis in Thessalia contra Pyrrhum decem milibus peditum et mille equitibus (Plut. Demetr. 40) adeo erat debilitatus, ut non facile sufficere posset ad devincendos Thebanos. Praeterea si consideraveris multos milites perpetuis impetibus contra urbem factis interemptos esse (Plut. l. l.), eo probabilius credes regem ut exercitum suum reficeret Athenienses auxilia poposcisse. Verum enim vero hanc oppugnationem in Epidico significatam esse refellere videtur, quod Demetrius urbe capta tam leniter Boeotos ultus esse traditur, ut Plutarcho teste tredecim viros morte, alios quosdam exilio puniret, Diodorum (XXI 14) si sequimur, Thebanos decem, ex ceteris Boeotis quattuordecim interfici iuberet; de praeda et captivis nihil audimus, diserte de priore expugnatione Plutarchus (Demetr. 39) tradidit: Ὁ δὲ (scil. Demetrius) .... καὶ πραξάμενος πολλὰ χρήματα .... ἔδοξεν κτέ. Quae cum ita sint, fateor me haesitare obsidionem anni 293 an 290 in Epidico commemorari censeam. Hanc praetulit Wilamowitzius (in ind. schol. Gotting. 1893/4 p. 14), quia optime ei conveniat aetas virginis a. 303 a Periphane Demetrii latrone procreatae. Sed id argumentum vix satisfacit, neque enim scimus, quam ob rem tum Epidauri fuerit, nec profecto sciamus oportet. Nescio an non militiae causa, nam adulescens certe, ut colligendum est ex vs. 449 sqq., plane eiusdem generis miles gloriosus fuit atque quales fere comoediis adhibebantur qualisque civis Atheniensis notus est ex Luciano (dial. meretr. 9) Πολέμων ὁ Στειριεὺς Πανδιονίδος φυλῆς et ipse πλουτῶν; tales vero uxores ducere non solent, antequam a militiis recesserunt. Periphanis filius iam ipse stipendia facit. Ergo mihi quidem res etiamnum est incerta.

Porro quaerentibus, quando fabula acta sit, non licet progredi ultra a. 287, quo praesidio macedonico ex Museo colli eiecto Demetrius Atheniensibus rursus signa intulit; veri simile autem mihi videtur eam aut a. 292 aut a. 289 doctam esse.

Succedat

Captivi.

Singularem huius fabulae inter Plautinas condicionem, quam prologi quoque auctor commemoratione dignam existimavit (vs. 53 sqq.), Brixius (in praef. edit. tert. p. 4) eo explicare conatus est, ut Plautus mediae comoediae fabulam verterit, parasiti personam fortasse de suo addiderit. Cui suspicioni haud minimam partem id favere videtur, quod quae ad res romanas spectant tantum non omnia Ergasili verbis continentur (cf. E. Herzog in Fleckeis. nov. annall. phil. a. 1876 p. 363 sqq.). Tamen eum iudicium fefellisse vix est quod demonstrem. Non respexit vir alioquin accuratissimus mediae comoediae poetas tam non tales fabulas composuisse, qualem Captivorum exemplum sibi finxit (dicit „*ein reines Familienrührstück*"), ut contra vix minus acerbiore sale suae aetatis homines populos res instituta perstrinxerint quam Eupolis et Aristophanes, non reputavit parasiti personam singulari studio atque amore ab Antiphane Eubulo Alexide excultam esse, non animadvertit denique Plautum omnino servorum et parasitorum personas liberius tractasse libentiusque eis suos ipsius iocos dedisse quam aliis. Inter novae potius comoediae fabulas graecum Captivorum exemplum quaerendum esse vel inde perspicitur, quod bello ab Aetolis gesto argumentum eius niti non potuit, priusquam Aetoli in rebus graecarum civitatum aliquid valere coeperunt, id quod demum Alexandri Magni temporibus factum est. Non igitur habemus, quod Ergasili personam ab attico exemplo afuisse, id autem ab Antiphane vel Anaxandrida conditum esse statuamus.

Iam vero fabula inde pendet, quod bello inter Aetolos et Eleos exorto Aristophon adulescens Aetolus captus est, quem ut redimat Hegio pater eius captivos Eleos commercatur. Quaeritur, quando illud bellum gestum sit. Atque Aetolos ex quo Alexandro Magno mortuo graecae civitates ad libertatem recuperandam in arma consurrexerunt, semper videmus eis, qui gubernacula regni Macedonum tenebant, Antipatro, Polyperchonti, Cassandro, Demetrio infestos esse et simul atque

occasio data sit aut his aut horum sociis Acarnanibus signa inferre, sed usque ad a. 314 nisi septentrionalis Graeciae rebus se non immiscere. Hoc demum anno ad Peloponnesum animos adverterunt. Cum enim Polypercho et Aristodemus Antigoni dux per biennium eas urbes, quae a Macedonum partibus stabant, subigere conarentur, Alexander Polyperchontis filius ab Antigono defecit, foedere cum Cassandro pacto Corinthum et Sicyonem occupavit, Eleis adsumptis Cyllenen oppugnare coepit. Quam ut obsidione liberaret Aristodemus, cum copiae suae post Alexandri defectionem non iam sufficerent, ad Aetolos se contulit ab eisque impetravit, ut secum contra Eleos expeditionem facerent.

Unum obstare videtur, quominus hoc bellum in Captivis dici existimemus. Ibi enim res ita describitur, ut τὸ κοινὸν τῶν Αἰτωλῶν contra Eleos belligerare videatur, cum Diodoro teste (XIX 66) Aristodemus Aetolorum milites mercede conduxerit (αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν μισθοφόρων διαβὰς ἐκ τῆς Αἰτωλίας εἰς τὴν Πελοπόννησον). Sed ne nimis in hac re offendamus: talia non curabant poetae attici, ut luculentum exemplum docet Thesauri Menandreae, in qua bellum inter Athenienses et Rhodios gestum commemoratur. Accedit, quod aliud Aetolorum cum Eleis bellum nec traditum est nec facile excogitaveris. Etenim a. 312 cum Ptolemaeus Antigoni dux contra Telesphorum proficisceretur, etiamsi Aetoli subvenerint, qua de re nihil scimus, tamen non contra Eleos, sed contra illum pugnatum est, porro cum adversus Aristotimum tyrannum bellum parassent — cuius de tempore nihil certi constat, vide Droysenum Epig. I p. 224 sq., Muretum Bull. de corr. hell. IV p. 43 sqq. —, hoc occiso priusquam manus consertae sunt Eleos foedere atque societate sibi adiunxerunt neque unquam deinde contra eos arma ceperunt. Quae cum ita sint, bellum a. 314 inter Aristodemum et Alexandrum gestum pro fundamento Captivorum graecum poetam sumpsisse, fabulam ipsam uno ex sequentibus annis Athenis actam esse probabile duco, pro certo quominus affirmem id impedit, quod de saeculo tertio paene nihil scimus; tamen sine ulla dubitatione contendo eam ante Aristotimi tempora scriptam esse.

Consideretur deinde

Stichus.

Translatam eam esse ex Menandri Adelphis didascalia codice Ambrosiano tradita docet, quam cum et Ritschelius (Parerg. p. 270) et Studemundus (Comment. Mommsen. p. 782) corruptam iudicarent, F. Schoellius (Fl. ann. phil. a. 1879 p. 44) sanam esse demonstravit collato scholio ad Platonem (p. 276), quo edocemur duas Menandri fabulas 'Αδελφοί inscriptas fuisse, quarum priorem Plautus, Terentius posteriorem verterit; neque hodie quisquam peritus de ea re dubitat, quamquam etiam Kockius (Com. Att. III p. 144) et Christius (Gesch. d. gr. Litt.^{2} p. 270) veterem Ritschelii opinionem suam fecerunt.

Atque Terentianae fabulae exemplum quando actum sit, nescimus. Id tantum constat, Athenis tum bellum non imminuisse, nam Demea rure in urbem venit et rus redit, deinde Cyprum pacatam fuisse nec in Aegaeo nec in Lycio mari classem hostilem versatam esse, nam leno illo profecturus est, ut meretrices vendat et Pamphilae cognatus fingitur virginem Miletum abducturus. Poterat igitur haec fabula, quam ut par est posterioribus Menandri adnumeramus, a. 302 agi, cum Athenae a Demetrio liberatae, Cypri urbes subactae erant, mare Aegaeum eius navibus tenebatur, poterat agi inde ab a. 300 usque ad a. 297, cum Demetrius in Cilicia et Phoenicia versabatur needum Lachari tyranno bellum intulerat, poterat denique a. 293 et 292 doceri, cum Athenae a Demetrio, Cyprus a Ptolemaeo captae erant.

Hoc igitur cum in medio reliquendum sit, ex sola Sticho cernamus oportet, quando prior Adelphoe data sit. Ac primum quidem cavendum est, ne ex v. 135:

Vosne latrones et mendicos homines magni penditis?

concludatur fratres militandi causa in Asiam abisse; id enim nec convenit maritis et refellitur vs. 404 sq.:

Mercurio, qui me in mercimoniis
Iuvit lucrisque quadruplicavit rem meam.

Quid *latrones* sibi velit, nescio, Plauti quidem aetate nihil

potuit significare nisi milites conducticios, quapropter mihi videtur corruptum, nec tamen valeo emendare. Mercaturae igitur causa Epignomus et Pamphilippus domo abierunt. Sed cum hac re non multum proficiamus, alia consideremus testimonia.

Atque gravissimum est id, quo Epignomus parasitum a cena arcet. Legimus vs. 490 sq.:

At ei oratores sunt popli, summi viri,
Ambracia veniunt huc legati publice.

Haec spectatoribus Atheniensibus merito insulsa visa essent, nisi re vera, cum Adelphoe docebatur, legatio Ambracia missa esset Athenas, id quod vix factum esse putaveris, donec illa urbs sub Macedonum potestate erat. Atqui ex Plutarcho (Pyrrh. 6) scimus Alexandrum Cassandri filium a fratre Antipatro patria privatum, ut regnum Macedoniae acciperet, Pyrrho cum alias terras tum τῶν ἐπικτήτων ἐθνῶν Ἀμβρακίαν, Ἀκαρνανίαν, Ἀμφιλοχίαν promisisse, hunc eis statim potitum esse (a. 295). Quamquam autem idem Ambraciam sedem regiam creavit indeque legatos Athenas mittere potuit, tamen huic tempori Stichi exemplar quominus tribuamus cum alia impediunt tum quod legati oratores populi vocantur. Qua re Adelphos prius scriptam esse statuere cogimur. Atque quando Ambracia sub Macedonum dicionem venerit, nusquam traditum est. A. 317 liberam fuisse equites Ambracienses una cum Olympiadis copiis contra Cassandrum pugnantes (Diod. XIX 35) evincunt, anno insequente hic Epirum foedere sibi adiunxit et Lyciscum ἐπιμελητὴν ἅμα καὶ στρατηγόν eo misit (Diod. XIX 36). Fortasse igitur iam tum Ambracia Macedoniae urbs facta est, magna vero cum probabilitate id affirmare possumus de a. 312. Nam ubi primum Alcetas regnum Epirotarum obtinuit, Lyciscus Acarnaniae praefectus contra eum arma movit et castris apud Cassopiam factis, cum Alexander et Teucrus filii illius copias cogerent, ipsum profligavit (Diod. XIX 88). Quoniam igitur ultra Ambraciam processerat, antequam cum hostibus manus conseruit, mihi quidem vix credibile videtur eum hanc urbem bene munitam, si cum Alceta fecisset, in itinere praeteriturum fuisse, praesertim cum inde

ei reditus posset intercludi*). Iam autem inde ab hoc anno usque ad a. 295 nihil scimus de expeditionibus Macedonum in Epirum factis**): quare veri simillimum est Ambraciam aut a. 312 aut antea regno Macedonum adiunctam esse. Quodsi Adelphos ei tempori tribuimus, quo Ambraciotae usque suis legibus utebantur, inter primas Menandri fabulas eam factam esse sequitur; atque id quidem universa eius condicio et argumentum non ita artificiose et subtiliter excogitatum videtur commendare.

Sed sunt quae obstent. Nam illis ipsis temporibus Antigonus cum Asandro Asiae domino bellum gerebat classesque suas quotannis per mare Aegaeum in Graeciam misit atque a. 314 Atheniensium quoque viginti naves Lemnum obsidentes cepit (Diod. XIX 68). Quamquam autem cives Athenienses etiam tum subinde mare transvectos et ab Agathone Asandri fratre exceptos esse titulus atticus docet (C. I. A. II 238), tamen de mercatoribus, qui triennium in Asia versati sint ingensque lucrum fecerint, tanto minus facile cogitaveris, quod haec terra perpetuis Ptolemaeum inter et Asandrum pugnis adeo acerbe vexata est, ut nulla fere eius regio per tres annos non tacta esse videatur. Pacis tempora tota Pinacii narratio (vs. 375 sqq.) monstrat et nescio quomodo Epignomi verba in vs. 402 sqq., qui quod salvus domum revertit, solis Neptuno et tempestatibus gratias agit. Ultra a. 317 vero procedere nemo audebit, qui Menandrum in primis fabulis mediae comoediae rationem, quod quidem pertinet ad perstringendos certos homines, minime aspernatum esse animadverterit.

Denique, id quod summi momenti esse mihi videtur, attendamus v. 287:

Si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito.

---

*) Hoc demum anno Amphilochiam et Ambraciam subactas esse fortasse inde concludere licet, quod a. 314 Cassander cum foedere cum Acarnanibus pacto bellum inferret Aetolis, non per Amphilochiam profectus cum sociis se coniunxit, verum ex Thessalia in Aetoliam irrupit. Qua via frater eius Philippus a. 313 in Acarnaniam pervenerit, ignoramus.

**) Unus Pausanias memoriae prodidit (I 11, 5) Cassandrum a. 302 Pyrrhum e regno expulisse. Aliter Plutarchus Pyrrh. 4.

Atque externum quendam regem subaudire quam ineptum sit, neminem fugit, sed ne Atheniensium quidem rex, qui sacra rei publicae administrabat, intellegi potest — cum Trin. 207 dici Ostermayeri est sententia, cf. infra —, nam ubicunque servi aut parasiti currentes obstantibus minitantur, eos dicunt, qui in re publica gerenda aliquid valent, demarchos comarchos strategos agoranomos. Non igitur fas est cogitare nisi de vero rege, qui cum Adelphoe docebatur Athenis fuerit. Demetrium Poliorcetam significari elucet. Qui postquam a. 307 πέμπτῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος (Plut. Demetr. 8) Athenas profectus Piraeo Munichiaque expugnatis in libertatem vindicavit cum inauditis honoribus affectus tum regis nomine ornatus, totam hiemem ibi degit et a. 306 Dionysiis actis — nam in eius honorem Demetria nominata sunt — iussu Antigoni in Cyprum navigavit. Quodsi statuimus Adelphos initio anni 306 actam esse, omnia bene se habent. Nam cum Asia inde ab a. 312, Athenae vero per totum hoc tempus, si excipimus brevem Ptolemaei ducis expeditionem a. 312 factam, pacis tranquillitate usae sint, facile intellegitur et Epignomum Pamphilippumque rem familiarem comedisse (v. 630) et mercandi causa in Asiam abisse. Demetrius deinde a. 303 et 302 Athenis fuit, sed de his annis bellum quattuor per annos cum Cassandro gestum vetat cogitari. A. 294 iam supra improbavimus. Tenendus igitur est a. 306.

Accedit, ut sic demum legatio Ambraciotarum apte possit explicari. Nam cum Epirotae, ubi primum Demetrius in Graecia constitit, rebellione contra Cassandrum facta et Alceta interempto Pyrrhum regem recepissent, nonne consentaneum est credere hoc ipso tempore Ambraciae quoque cives macedonica potestate sese liberasse, praesertim cum et Epiri regem et Aetolos se adiuturos esse possent exspectare? Deinde vel per se probabilissimum est Pyrrhum cum Demetrio foedere se sociasse, cum paucis annis post e regno expulsus in huius castra se contulerit. Vidimus igitur Menandri Adelphos vix ante a. 317 doceri potuisse, vidimus legatos Ambracienses in ea commemoratos Athenas nequivisse venire nisi intra annos 307 et fortasse 302, quo Pyrrhus regno privatus est, vidimus

unum testimonium certissime ad a. 306 referendum esse: quid multa? ego equidem non dubito, quin Ambraciotae tum a Cassandro defecerint atque et ipsi Athenas ad Demetrium legatos miserint.

Tempus fabulae recte enucleatum esse alius Stichi locus optime mihi videtur comprobare. Pinacium servus Panegyri reditum mariti nuntiaturus ubi ad domum eius substitit, exclamat v. 290:

Sed tandem opinor aequiust eram mihi esse supplicem
Atque oratores mittere ad me donaque ex auro et quadrigas,

v. 293: *Ad me adiri et supplicari mi egomet aequom censeo.* Nonne his verbis manifeste adluditur ad magnificum Demetrii Poliorcetae Athenas introitum? Hunc quoque Athenienses oratoribus ad portum missis vehementer obsecraverant atque in urbem suam arcessiverant (Plut. Demetr. 9: πρέσβεις δεομένους ἀπέστειλον, 10: τῶν Ἀθηναίων δεχομένων καὶ καλούντων) nec non ut quadrigis adveheretur curaverant (Plut. l. l. ὅπου πρῶτον ἀπέβη τοῦ ἅρματος ..... βωμὸν ἐπιθέντες Δημητρίου Καταιβάτου προσηγόρευσαν). Haec tam accurate inter se congruunt, ut spectatorum, qui paucis mensibus post hanc fabulam videbant, nemini ignotum esse, quo spectarent Pinacii verba, neminique risum ea non movere potuerint.
Deinde disputandum est de

Menaechmis,

cuius exemplar quo tempore Athenis doctum sit eo minus certum habetur, quod ex argumento fabulae ipso nihil discimus, unicum vero testimonium ad historiam spectans Plautone an graeco poetae tribuendum sit virorum doctorum sententiae variant. Agitur de vs. 408 sqq.:

Non ego te novi Menaechmum, Moscho prognatum patre,
Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia,
Ubi rex Agathocles regnator fuit, et iterum Pintia,
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit,
Nunc Hierost?

Quamquam enim hunc locum plerique noviciorum interpretum

ex graeco exemplo expressum esse putant, tamen contraria opinio multis adhuc ita probari videtur, ut etiam Schwabius (in Teuffelii hist. litt. rom. ed. V p. 154) sic iudicet: „*Für die Abfassungszeit (vor J. 539/215) bietet 2, 3, 60 einigen Anhalt. Jedenfalls sind die Menächmen eines der frühesten Stücke des Plautus*". Quae cum ita sint, tota quaestio denuo instituenda est.

Vs. 408 sqq. si Plautus de suo addidit, necessario concludendum est Menaechmos eum Romae ante a. 215, quo Hiero mortuus est, docuisse. Quaeritur igitur, num iam ante a. 215 fabulas dederit. Atque id saltem concedendum est argumentis hoc satis idoneis neminem adhuc demonstrasse. Immo sic viri docti ratiocinantur: Plautus cum ca. a. 252 natus antequam comoedias docuit primum in operis artificum scaenicorum quaestum fecerit, deinde mercaturae incubuerit, postremo omni pecunia perdita pistori se locaverit*) et in pistrina Saturionem et Addictum teste Varrone composuerit, non facile potuit minus triginta annos natus, i. e. ante a. 222, comoedias edere (cf. e. c. Schanzius in hist. litt. rom. § 30). Haec quam debili in fundamento exaedificata sint, non est quod ostendamus. Atque inde quoque cave nimium concludas, quod Cicero (Brut. 18, 73) memoriae prodidit Plautum a. 199 C. Cornelio Q. Minucio coss. iam multas fabulas docuisse; nam cum inter hunc annum et eum, quo poeta mortuus est, quindecim intersint, Ciceronis autem locus nequaquam ita comparatus sit, ut maiorem comoediarum numerum tertio a. Chr. saeculo quam alteri ascribendum esse efficiat, non licet ultra a. 215 progredi, nisi gravissima argumenta accedunt. Atqui solus Menaechmorum locus proferri potuit. Aliam igitur ingrediamur viam. Eae comoediae Plautinae, quarum tempora aut tradita aut certo aliquo modo indagata sunt**), tantum non omnes ad alterum a. Chr. saeculum pertinent, Militem Gloriosum et

---

*) De his narratiunculis plane assentior Leoni (Hermes XXIV p. 78).

**) In quibus non eas numero, quarum aetatem solum Philippeum argentum in eis commemoratum definire viris doctis visum est.

Cistellariam *) solas antea actas esse compertum habemus. Deinde animadvertendum est Militem unam inter eas Plauti fabulas, quae aetatem tulerunt, lyricis rythmis carere, id quod soli histrionum retractationi vel Plauti libidini cuidam tribuere desperantis est; primo poetae tempori etiam Asinariam tribuo, quae unum canticum continet; confirmatur sententia mea prologo huius fabulae, unde Plautum etiam tum maccum vocari solitum esse edocemur**). Quamquam autem concedendum est Mercatorem quoque post a. 196 doctam (cf. Ladewigius, Zeitschr. f. Alt. 1841 p. 1085) et Curculionem tantum singula cantica quamvis ampla habere, complura Cistellariam ante finem alterius belli Punici conditam, tamen considerantibus nobis Menaechmis versus et creticos et baccheos multos adhibitos esse dubium esse vix potest, quin ante a. 215 omnino non potuerit doceri.

Sed redeamus ad vs. 408 sqq. Syracusis dicitur Agathocles regnator fuisse, iterum Phintias, tertium Liparo, qui regnum moriens Hieroni tradiderit. Versus a Plauto ipso additos esse vel inde sequi existimatum est, quod nec Phintias nec Liparo unquam Syracusanorum reges fuerint, verum ficta nomina sint. De quibus deinceps disputandum est. Nam ante hos paucos annos A. Gerckius in mus. Rhen. vol. XLII p. 267 sqq. praeeuntibus aliis re vera eos exstitisse eo probabile reddere conatus est, quod Hiero demum a. 270 Syracusanorum imperium nanctus sit. Cui ne assentiar id me prohibet, quod omnibus veterum historicorum testimoniis aut postpositis aut artificiosa interpretatione remotis sola rerum tum gestarum — de quibus nempe multa incerta sunt — inter se ratione nisus est; nec magis mihi sententiam suam probavit qui novissime de his temporibus egit Belochius (in Hermae vol. XXVIII p. 481 sqq.). Hieronem a. 275 imperium Syracusarum obtinuisse docet Polybius I 8, 3, cuius verba plane perspicua Belochius aliter interpretatus explicationem suam quanto protulit confidentius

---

*) Cf. v. 200 Us. Prologum ab Auxilio enarratum noli Plauto abiudicare.

**) De voce *maccus* cf. Buecheleras in mus. Rhen. XLI p. 12. Prologum Plautinum esse demonstravit Leo in adnotatione editionis suae

non tanto certiorem reddidit, docet Pompeius Trogus (Iustin. 23, 4), docet Pausaniae locus (VI 12, 2) ab editoribus recte suppletus, quem nollem Gerckius sic interpretatus esset: *„Also muss Hieron bereits einmal mit 32 Jahren Archont gewesen sein“*; nam imperio eum unquam privatum esse nec traditum est nec credi potest, quin etiam inde a primis magistratus temporibus maiora eum appetivisse aequales cognoverunt Polybio teste (I, 8, 5); quod vero Belochius de Pausaniae loco protulit, non est nisi mera coniectura, accuratius eum inspicienti multo videbitur probabilius periegetam aut chronographo aliquo aut eo historico usum esse, qui ad Olympiorum rationem historiam scripserit, fortasse Timaeo. Adde quod Zonaras VIII 6 plane consentit cum Iustino et Polybius altero loco (VII 8, 4) expressis verbis memoriae prodidit eum per quinquaginta quattuor annos regem fuisse (ἔτη γὰρ πεντήκοντα καὶ τέτταρα βασιλεύσας διετήρησε μὲν τῇ πατρίδι τὴν εἰρήνην), quem locum a Gerckio et Belochio perperam explicatum esse eo magis perspicuum est, quod Polybius paucis versibus ante imperatorem Syracusanorum sociorumque a Syracusarum rege diserte discreverat (8, 1 πρῶτον μὲν δι' αὑτοῦ κατεκτήσατο τὴν Συρακοσίων καὶ τῶν συμμάχων ἀρχήν. 8, 2 καὶ μὴν οὐκ ἀποκτείνας, οὐ φυγαδεύσας, οὐ λυπήσας οὐδένα τῶν πολιτῶν, δι' αὑτοῦ βασιλεὺς κατέστη τῶν Συρακοσίων). Verbis autem ἔτη γὰρ πεντήκοντα καὶ τέτταρα βασιλεύσας non totum tempus, per quod imperium obtinuerit, verum id, per quod rex fuerit, dictum esse quam certissime arguunt et antecedens enuntiatum: ἔτι δὲ τὸ μὴ μόνον κτήσασθαι τὴν ἀρχὴν (scil. τὴν βασιλείαν) οὕτως (scil. οὐκ ἀποκτείνας, οὐ φυγαδεύσας, οὐ λυπήσας οὐδένα τῶν πολιτῶν), ἀλλὰ καὶ διαφυλάξαι τὸν αὐτὸν τρόπον. ἔτη γὰρ κτέ. et sequentia verba: διεφύλαξε δ' αὑτῷ τὴν ἀρχὴν ἀνεπιβούλευτον, διέφυγε δὲ τὸν ταῖς ὑπεροχαῖς παρεπόμενον φθόνον· ὅς γε πολλάκις ἐπιβαλόμενος ἀποθέσθαι τὴν δυναστείαν ἐκωλύθη κατὰ κοινὸν ὑπὸ τῶν πολιτῶν*). Prorsus aliter comparatus est

---

*) Reussium, qui in Fl. ann. phil. a. 1892 p. 107 Hieronem primum Syracusanorum, deinde sociorum quoque regem factum esse contendit, refutavit Belochius p. 483.

Polyb. XVIII 41, 8, ad quem locum provocavit Belochius. Videmus igitur omnes veteres auctores inter se consentire Hieronem a. 275 imperium Syracusarum obtinuisse. Conficit rem Zonaras, qui VIII, 6 eum Romanorum consulem Rhegium oppugnantem (a. 271) frumento et copiis adiuvisse docet, cuius de fide dubitantem Belochium, cum argumenta addiderit nulla, non iuvat pluribus refellere: id unum affirmo Zonarae locum optime convenire Hieronis consiliis (cf. Polyb. I 8, 1: ἕως μὲν συνεχρῶντο τῇ τῶν Ῥωμαίων συμμαχίᾳ τῶν τὸ Ῥήγιον κατασχόντων).

Haec pro fundamento ei habenda sunt, qui historiam illius aetatis illustraturus est. Quamquam concedo inter proelii ad Longanum flumen a. 270 commissi et primi belli Punici descriptionem et apud Polybium et apud Diodorum lacunam apparere; tamen si Gerckius temporum ordinem recte constituit, tantundem annorum spatium, scil. inde a Pyrrhi ex Sicilia recessu usque ad a. 270, ab historicis praetermissum esse censere cogimur. Sin vero difficultates etiam tum remanent, quonam iure alterum Polybii testimonium, etiamsi ut Gerckius et Belochius fecerunt interpreteris, licet agnoscere, alterum idque tot tantorumque veterum scriptorum auctoritate stabilitum improbare? Accedit aliud. Polybio teste Hiero victoria de Mamertinis reportata a. 270 Syracusas abiit — sic etiam Diodorus XXII 13, 9 — et ab omnibus sociis rex appellatus est, Mamertini autem πρότερον μὲν ἐστερημένοι τῆς ἐπικουρίας τῆς ἐκ τοῦ Ῥηγίου, τότε δὲ τοῖς ἰδίοις πράγμασιν ἐπταικότες ὁλοσχερῶς οἱ μὲν ἐπὶ Καρχηδονίους κατέφευγον καὶ τούτοις ἐνεχείριζον σφᾶς αὐτοὺς καὶ τὴν ἄκραν, οἱ δὲ πρὸς Ῥωμαίους ἐπρέσβευον παραδιδόντες τὴν πόλιν κτέ. Cur igitur legatos ad Romanos mittunt? Forsitan ut ea oppida, quae Hiero sibi eripuit, recuperent? At suam ipsorum urbem sociis tradituri sunt. An suae salutis causa? At non obsidentur. Quid igitur? Videsne Polybii narrationem ipsam in se aperta lacunae vestigia complecti? Legatio mitti non potuit, nisi Messana a Syracusanis gravissime opprimebatur nec ulla obsessis alia spes salutis relicta erat. Tertium igitur Hieronis contra Mamertinos bellum statuendum est (cf. etiam Holmius, Gesch. Sizil.

II p. 492), de quo auctor est Zonaras (8, 8: οἱ Μαμερτῖνοι . . . τότε δ' ὑπὸ Ἱέρωνος πολιορκούμενοι ἐπεκαλέσαντο τοὺς Ῥωμαίους) et in quo cum horum legati Romam missi auxilium ut ferretur impetravissent, id ut irritum faceret Hanno Carthaginiensis, qui arcem Messanae occupaverat, pacem conciliavit inter eos et Hieronem. Quartam expeditionem a. 264 una cum Carthaginiensibus fecit, cum Mamertini C. Claudium in urbem suam recepissent et Hannonem ex ea recedere coegissent (Zon. 8, 9; Diod. XXII 13, 9; XXIII 1, 2). Carthaginienses autem bis Messanam a Syracusanis servaverunt obsessam, a. 270 duce Hannibale (Diod. XXII 13, 7), a. 265 Hannone. Quamquam hanc nominis diversitatem, quae intercedit inter Diodorum et Zonaram, forsitan non ita magni momenti esse putaveris, nec profecto ego is sum, qui Hannibalis nomen, si apud Livium fuit, aut a Dione aut a Zonara per errorem mutari potuisse negem; sed non desunt, quae duas Messanae occupationes a Carthaginiensibus factas esse suadeant ut censeamus. Diodoro teste Mamertini cum exercitum suum apud Mylas devictum atque Cium imperatorem occisum esse comperissent, decreverunt veniam Hieronis implorare urbemque ei tradere (XXII 13, 6: ἔκριναν μεθ' ἱκετηρίας ἀπαντᾶν τῷ βασιλεῖ . . . . ., 7: μέλλοντας παραδιδόναι τὴν πόλιν), apud Polybium et Zonaram nihil eius modi; deinde Diodorus narrat Hannibalem sua sponte venisse et dissuasisse, ne urbs Hieroni traderetur, Polybium et Zonaram si sequimur, Mamertini Carthaginiensium ducem ipsi arcessiverunt, praeterea apud illum salutem, de qua iam desperaverant, recuperaverunt, Zonara auctore graviter tulerunt copias Poenorum in arce sua collocatas. Igitur Diodoreum excerptum XXII 13, quod excepta ultima paragrapho procul dubio contextam rei expositionem complectitur et integram, primam Messanae occupationem tradidit, alteram Polybius et Zonaras. Nimirum una difficultas remanet, neque enim certum est, quando et quo modo Carthaginienses post a. 270, ante a. 265 ex ea recesserint; sed discrepantiae, quas inter Diodori et Polybii Zonaraeque narrationes intercedunt, tam graves sunt, ut diversa eos narrasse mihi quidem negari haud posse videatur.

Explicavi meam de rebus siciliensibus sententiam; quae si recta est, et ipsa demonstrat Hieronem iam ante a. 270 Syracusanorum obtinuisse principatum. Quapropter non licet dubitare, quin ipsi Pyrrho successerit. Sed ne ante Pyrrhi quidem in Siciliam adventum Phintiam ullum aut Liparonem Syracusanorum praefectum fuisse facile mihi persuaserim. Etsi enim de horum temporum rebus non edocemur nisi Diodori librorum XXI et XXII excerptis, tamen ex eis ipsis satis certa ratione, nisi fallimur, colligi potest post Agathoclis mortem cum Meno urbem aggrederetur (XXI 16, 6), statim Hicetam iussum esse eam tueri (XXI 18, 1), qui non ita multo post tyrannidem usurpavit (XXII 2, 1) et novem per annos cum imperium obtinuisset, expulsus est a Thoenone (XXII 7, 2). Inter Thoenonem vero Sosistratumque atque Pyrrhum locus nullus est aliis principibus (XXII 7, 3; 7, 6; 8, 4). Corruit igitur Gerckii de Phintia et Liparone suspicio, ficta sunt nomina.

De eo tantummodo quaeri potest, utrum in attica fabula fuerint an demum in romanam inserta sint; atque cum tralaticia opinio hoc potius commendet, fateor mihi illud multo veri similius videri quam hoc. Primum enim certe errant qui Agathoclis et Hieronis nomina romano poetae, non graeco, deberi putant. An si Menaechmi re vera Hierone rege, i. e. paulo ante a. 215 Romae docta esset, Plauti interesse potuit reges Syracusanos alterum ab altero exceptos spectatoribus enumerare? praesertim cum Hiero iam paene sexaginta annos imperium obtineret? Immo ipsa Agathoclis mentio saepius ab atticis poetis, a romanis nunquam quod sciamus facta aperte ostendere mihi videtur eum quidem certe ab exemplaris auctore laudatum fuisse; et tum demum et principum enarratio et ultima verba *qui in morte regnum Hieroni tradidit*, *nunc Hierost* aptam habent explicationem. Iam vero num credemus pro Phintia et Liparone veros Syracusanorum imperatores in graeca fabula nuncupatos fuisse et a Plauto deletos proque eis fictos insertos esse? Quam ob rem id eum fecisse censeas? Spectatorum saltem longe minima pars de horum temporum rebus quicquam sciebat, ac si quid

in regum fictione inest ridiculum, suam vim habere potuit apud Graecos Agathoclis et Hieronis aequales, minime apud Romanos. Praeterea Phintiae et Liparonis nomina sunt bene siciliensia, Phintiae adhuc non inventum est nisi aut Siculi aut magnae Graeciae incolae, Liparonis ductum est a Lipara, ut Gelonis a Gela, Tyndarionis a Tyndaride, Hyblonis ab Hybla; id quod et ipsum multo magis atticum poetam redolet quam romanum. Unum tantum obstare videtur, quod mihi olim visum est contrarium efficere, Menaechmi responsum *Haud falsa, mulier, praedicas;* nam primo obtutu non facile quisquam sibi persuaserit ingenuum adulescentem, qui Syracusis natus sit et diu ibi fuerit, tantam rerum patriae suae imperitiam prae se tulisse in attica fabula. At ne haereamus in eo, historiae depravationem certe admisit, neque enim Hiero ab alio imperatore regnum adeptus est. Deinde gratia huius loci in agendo posita est, videmus meretricem muliebri loquacitate et celeritate multa simul, vera falsa, effundere et optime excogitatum putamus, quod Menaechmus, qui nempe Agathoclis et Hieronis nomina certe percepit, reliqua non curat tanta verborum mole obstupefactus atque eo maxime attonitus, quod se et patriam suam Erotio nota esse videt. Ergo non solum Agathoclis et Hieronis, verum etiam Phintiae et Liparonis nomina graeco exemplo adhibita fuerunt, et haec quidem fortasse ad certorum tum temporis imperatorum nobilium memoriam accommodata, Phintiae dico Agrigenti tyranni et nesciocuius Liparonis nobis ignoti, noti Atheniensibus.

Haec dummodo concedantur, totus locus commendare videtur, ut Menaechmos ei tempori ascribamus, quo Agathocles omnium Atheniensium memoria tenebatur, Hiero non ita diu regnabat. Certum igitur terminum annum 269 nacti sumus, nec improbabiliter statuere nobis videmur fabulam uno ex proxime sequentibus annis actam esse, vix post belli Chremonidei aut primi Punici initium.

Iam si cetera consideramus, nihil efficitur eo, quod Menaechmus v. 235

Histros, Hispanos, Massilienses, Hilurios,
Mare superum omne Graeciamque exoticam

*Orasque Italicas omnis**)

circumvectus esse fertur; nam post a. 275 Pyrrho ex Italia egresso omnes terrae maribus vicinae otio fruebantur nec nisi in mari Adriatico praedones Illyrii nautis molesti erant. Superest igitur, ut res Epidamniensium contemplemur; atque hic quoque dicendum est ea, quae veteribus ab auctoribus tradita sunt, nihil nos docere. Sed vicissim si fabulae, qua de agitur, rationem habemus, symbolam nobis videmur afferre posse ad historiae illius temporis notitiam. A. 271 vel 270 Apolloniates cum legatos Romam mitterent (Liv. epit. 15), auxilium a populo Romano petivisse inter omnes hodie constat. Eodem enim tempore Alexander Pyrrhi filius bellum cum Monunio gerebat Illyriorum rege, qui postquam Gallis ex Graecia redeuntibus devictis opes suas ingentem in modum auxit, vicinas terras subegit, Epidamnum occupavit, Pyrrho Argis occiso facile potuit sperare se Epirotarum quoque regno esse potiturum. Qualis illius belli exitus fuerit, traditum non est: Alexandrum regno suo non privatum esse inde efficitur, quod paucis annis post Acarnaniae parte arrepta expeditionem in Macedoniam fecit. Epidamnus autem certe a. 230, quo societatem iniit cum populo Romano, libera erat: licetne statuere iam paulo post annum 270 liberatam esse conciliata inter Alexandrum et Monunium pace? Droysenus de ea re dubitavit, sed ni fallor Menaechmorum exemplo comprobatur. Modo concedamus poetas atticos res comoediarum suarum semper in graecis oppidis posuisse. Sic fabulae aguntur Epidauri, Calydone, Ephesi, Sicyone, nunquam in barbara urbe. An credes ullum poetam tam ineptum fuisse, ut fabulam, in qua graeci homines prodibant, graece sermones instituebant, graeco omnia habitu induta fuerant, v. c. Carthagine agi fin-

*) *Hispanos* nempe a Plauto ipso additum est. Syracusanorum Tarentinorumque naves tum ultra Siciliae et Massiliae oras navigare vetitae erant; quomodo autem Carthaginienses eos, quos in suo mari offenderant, tractare soliti sint, notum est ex Eratosthene (apud Strabonem 17, 1 p. 802). Demum a. 241 alienis navibus permissum est, ut in Hispaniam transveherentur. Plautinum additamentum allitteratio quoque monstrat.

xerit? Quamquam autem Epidamni quidem Graeci incolebant, tamen inauditum mihi videtur poetas atticos hoc oppidum comoediis suis adhibuisse, donec Illyriorum copiis teneretur. Hostium vero barbarorum in Menaechmis nec vola nec vestigium apparet; immo pace fruentem urbem monstrant et quod incolae *voluptarii atque potatores maxumi* vocantur (v. 259) et quod maritus meretricem amat et quod scorta, si quis peregrinus in portum advenerit, nomine exquisito ad eum dicuntur sese applicare (vs. 340 sqq.). Iam vero quoniam atticum exemplum supra ostendimus primis Hieronis regis annis doctum esse, deinde nisi in graecis oppidis res comoediis tractatas agi non solitas esse si non demonstravimus at admodum veri simile reddidimus, denique si a. 271 inter Alexandrum et Monunium Epidamni dominum belligeratum est, paucis annis post, scil. belli Chremonidei temporibus, simultates eorum positae fuerunt, summa cum probabilitate concludemus Epidamnum paulo post a. 270 esse liberatam; fortasse etiam Menaechmi verbis v. 1005 *in pacato oppido* suam sententiam tribuere possumus et subaudire in oppido pacem adepto, non in oppido pace utente; nam illam artiorem vim verbi quod est pacatus aliquando unam valuisse negari nequit.

Posidippi fabulam a Plauto expressam esse cum alii tum Ladewigius (Philol. I p. 288) doceri existimaverunt nobili illo Athenaei loco saepe tractato (XIV 658 f.), cuius de fide cum nunc haud ita pauci dubitent, breviter agamus oportet. Eo minus vero id inutile iudico, quia eos quoque, qui Athenaeum sequuntur, saepius parum recte video iudicasse de coquis Plautinis. Verum dixit unus quantum scio Ussingius. En Athenaei verba: οὐδὲ γὰρ ἂν εὕροι τις ὑμῶν δοῦλον μάγειρόν τινα ἐν κωμῳδίᾳ πλὴν παρὰ Ποσειδίππῳ μόνῳ. Δοῦλοι δ' ὀψοποιοὶ παρῆλθον ὑπὸ πρώτων Μακεδόνων κτέ. Num eos coquos, qui μάγειροι, ab eis, qui ὀψοποιοί nominabantur, discreverit epitomator, incertum est, discernendos esse in atticis comoediis persuasum habeo. Qui aliter censet, aut Athenaeo omnem fidem abrogare, id quod vix prius facere licebit, quam quomodo illud docere potuerit apte explicatum erit, aut per-

multas Plauti et Terentii fabulas ad Posidippum referre cogitur. Namque servi coqui inducuntur in Menaechmis, Aulularia, Curculione*), Milite Glorioso, coquorum munere funguntur servi Toxilus in Persa, Cyamus in Truculento, Syrus in Terentii Adelphis, quibus adnumerandus est *manipulus furum* in Eunucho (v. 776). Atque μαγείρους eos intellegendos puto, qui delicatos atque exquisitos cibos apparabant, quod si rectum est, non potuerunt conduci, nisi aut nuptiae fiebant ut in Casina et Aulularia aut quis opulentas epulas cum amica instruebat ut in Mercatore et Menaechmis: similiter res se habet de Pseudolo. Carionem in Milite coquum esse non docetur nisi unius scaenae superscriptione, procul dubio ὀψοποιός est ut Cyamus, nec magis Phaedromi coquum in Curculione μάγειρον esse cum Ribbeckio (Röm. Dicht. I p. 125) mihi persuaserim, quia ille sane stulte fecisset, si parasiti causa cotidiana convivia instituisset, Curculionis vero non refert delicate esse, dum multum. Ceteros denique omnes ὀψοποιούς vocandos esse manifestum est. Eo igitur pervenimus disquisitionis, ut δούλους μαγείρους in duabus Plautinis fabulis inesse cognoscamus, Menaechmis et Aulularia. Atqui huius exemplar non Posidippi, sed ut infra demonstrabitur multo ante eum compositum est. Quae cum ita sint, licetne illud Athenaei utique improbare? Tamquam eum, qui octingentas fere se comoedias legisse praedicet, unus ille locus, quo solo Congrionem et Anthracem servos esse perspicitur (v. 310), non facile praeterire potuerit. Sin autem comicorum graecorum fragmenta inspicimus, quantum quidem ex eis colligi potest, Athenaei dictum confirmari videtur, una in Thesauro Archedici servum μάγειρον deprehendimus**). Quod igitur

*) De hac re dubitari vix potest, siquidem Palinurus eo somniorum coniectore uti solet, coquos autem semper ab uno eodemque conduci in comoedia inauditum est.

**) Cf. Frantzius de com. att. prologis (diss. Argent. 1891) p. 66, qui quod Athenaei de servis coquis apud Posidippum unum apparentibus notitiam fluxisse conicit ex prologo Apocleomenes Posidippeae, non respexit illius scriptoris consuetudinem omnia quae ex poetis hauserit eorum ipsorum versibus comprobantis. Verba supra exscripta clamant Athenaeum doctrinam illam suae observationi debere.

ille bis erravit, non ideo licet in universum de eius fide dubitare. Accedit, quod eo tempore, quo Menaechmorum exemplum doctum est, optimi poetae iam omnes fere mortui erant, alii, ut Philemo, gravi senectute premebantur, Posidippus, quem tertio post Menandrum defunctum anno fabulas edere coepisse Suidas auctor est, praeter omnes laude poetica floruit. Vertisse Romanorum poetas eius fabulas Gellius II 23 docet. Quodsi, ut in prooemio exposuimus, praestantissimis Graecorum poetis comicis Plautinas comoedias vindicare fas est, a sententia nostra et propter temporum rationes veri simili et Athenaei testimonio confirmata non ante recedemus, quam exemplum Menaechmorum non posse Posidippi esse demonstratum erit.

Hanc fabulam excipiat

Trinummus,

quam ad exemplum Thesauri Philemoneae factam esse prologo edocemur. Charmides senex in Seleuciam profectus est mercaturae causa et reversus filium corruptum, rem familiarem comesam, domum venundatam videt. Unde sequitur, ut quo tempore Philemo fabulam scripsit Athenae pacatae fuerint, Syria bello non vexata sit. Praeterea nomine Seleuciae non urbem a Seleuco Nicatore conditam, verum terram aliquam dictam esse inter omnes constat propter v. 845:

Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia atque Arabia

atque concedendum est Plautum subaudivisse terram. Minime idem certum est de graeco poeta. Quam enim censes terram hunc nominasse? An Σελευκίδα? At vix credibile est id nomen provinciae, quod nobis demum ex Posidonio notum est, Athenis in scaena usurpatum esse paulo post ipsam institutam provinciam, nec convenit v. 845, ubi cetera terrarum, non satrapiarum sunt nomina. Σελευκία nulla umquam terra nominata est, potuit dici ἡ τοῦ Σελεύκου, scil. χώρα; sed tamen mihi quidem multo videtur probabilius Philemonem Σελεύκειαν oppidum ad Orontem situm nuncupasse, quod inde a primis suis annis notum fuit emporium. Quando conditum sit, nescimus; ego equidem non dubito, quin paulo post pugnam

apud Ipsum commissam*), certo conditum est a Seleuco Nicatore (cf. Strabo XIV p. 749). Scripsit igitur Philemo Thesaurum compluribus annis post quam Seleucus Syriam occupavit, quocum concinit, quod Stasimus servus ne Lesbonicus *aliquem ad regem* latrocinatum abiturus sit veretur (v. 722).

Porro considerandum est, num quid ex v. 207 concludi possit:

*Sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit***),

quem pro dittographia insequentis versus habendum esse nego, siquidem potius per gradationem ab eo pervenitur ad illud: *sciunt quod Iuno fabulatast cum Iove.* Primo obtuto subaudiveris certum regem Thesaurumque eo tempore conscriptam esse credideris, quo Athenae sub Demetrii Poliorcetae dicione erant, i. e. inde ab a. 294 usque ad a. 287. Oblocutus est Ostermayerus l. l. p. 52. Ubicunque enim a graecis scriptoribus rex cum regina coniunctus sit, id ad neminem spectare nisi ad *ἄρχοντα βασιλέα* et *βασίλινναν* eius uxorem, versu autem, de quo agitur, regem significari reginae praecipientem quid quoque in sacro facere necesse sit: atque sic demum quandam vim inesse in Megaronidae verbis, quoniam „omnia mysteriis obscurata fuerint, ut fieri non potuerit, ut in publicum evaderent, quae dixisset βασιλεὺς βασιλίννῃ.“ Profiteor Ostermayerum mihi sententiam suam non probasse. Mire profecto opinatus est regem sacrorum uxori, quae facienda essent, in aurem dicentem significatum esse, quasi fere ad-

---

*) Antiochia quoque paulo post illam ipsam pugnam condita est, cf. Plut. Demetr. 32.

**) Plerosque editores secutus sum. Coniunctivi potentialis, quem agnoscit Niemeyerus in Brixii editione quarta, hic locum nullum esse tota arguit sententiarum ratio; si igitur tenemus quae tradita sunt, transitus est in constructione relativa a coniunctivo modo ad indicativum, cuius varietatis nulla ratio apparet. Iam clausulam versus 207 cave temptes, flagitatur igitur constructio interrogativa, a qua non semel Plautum ad relativam transisse exempla docent a Lorenzio ad Most. v. 969 allata. Corruptela antiquissima — nam ad eius demum exemplum interpolatio codicis A in v. 208 facta videtur — ni fallor ita orta est, ut *id* olim correcturae causa super *quod* scriptum (ut fieret *quid*) postea in versum irrepserit.

fuerint qui verba eius possent audire. *In aurem dixerit* simplicissimam habet vim: scurrae non solum ea sciunt, quae rex cum regina fabulatus est, verum etiam ea, quae ille eo consilio ne audirentur reginae insusurravit. Friget praeterea, quod famigeratores ea novisse dicuntur, quae ad sacra facienda praecepta rex uxori dederit, tamquam ea comperire Atheniensium magni interfuerit; tenendum enim est Megaronidam non tam queri, in famigeratoribus scilicet, quod regis dicta sciant, quam quod in vulgus efferant. Denique Ostermayerus non recte contendit regem sacrorum solum cum regina coniunctum inveniri — id quod vel per se admodum veri dissimile est —; Stich. v. 133 Pamphila se et maritum suum pauperes opponit regi reginaeque, ubi nemo regem Atheniensium subaudiet, Alexis in Crateua (frg. 111) Demetrio Poliorcetae Philam adiunxit, quamquam non reginam appellavit, sed 'Αφροδίτην; nec dubito quin exempla cumulari possint. Ergo haec argumentatio non satisfacit. Ac mihi quidem ea loci interpretatio omnium maxime placet, ex qua, cum Thesaurus Philemonis docebatur, Athenae regi alicui subiectae erant, scil. Demetrio Poliorcetae, qui solus Athenis simpliciter rex potuit appellari postquam alii quoque imperatores regna instituerunt. Antea etiam Philippum Arrhidaeum Athenienses regem vocabant (Theophr. char. 8, cf. infra), de cuius temporibus hic ne cogitemus prohibet mentio Seleuciae.

Deinde si quis ex vs. 598 sq.:

*Ibit istac, aliquo, in maxumam malam crucem**),
Latrocinatum, aut in Asiam aut in Ciliciam

ibi tum bellum gestum esse collegerit, procul dubio nimium concluserit; dixit Stasimus, ut par est, generaliter eas regiones, in quibus milites conducticii maxime imperatoribus se addicere solebant.

Restat post ea, quae disputavimus, ut terminos, quos intra Thesaurus doceri potuerit, artius circumscribamus. In ante-

---

*) Sic Leo me docuit interpungendum esse et explicandum: *ibit istac*, i. e. istac regione, extra urbem; *aliquo*, nescio quo, sed certe in perniciem, utpote latrocinatum.

cedentibus diximus Seleuciam in attica fabula urbem fuisse nobis videri, sed sive urbs fuit sive terra, certe fabula scripta est post pugnam Ipsiacam, nam inde ab a. 306 (cf. v. 722: *aliquem ad regem*) usque ad a. 301 non potuerunt mercatores Athenienses venire in interiores Asiae regiones. Quodsi sumimus — et sumendum est ex more mercatorum comoediae — Charmidem duos vel tres annos a patria afuisse, siquidem Seleucia notum Atheniensibus emporium esse debuit, antequam mercatores fingerentur eo proficisci, relegamur in annum 296 vel 295; sed tum Athenae a Demetrio obsidebantur. Eaedem cum a. 294 captae sint, antea autem Charmides non potuerit abire, Philemo fabulam suam post a. 293 scripsit. Cui bene conveniunt ea, quae de v. 207 disputavimus. Quo si Demetrium Poliorcetam Athenarum dominum et Philam significari censebimus, Thesaurum intra annos 292 et 287 doctam esse statuemus.

Porro disputandum est de

Aularia,

cuius tempus ab aliis aliter definitum est. Cum enim Kiesslingius in mus. Rhen. XXIII p. 214, quem secuti sunt Ostermayerus (p. 16), Schusterus (Quo modo Pl. att. exempl. transtulerit, diss. Gryph. 1884 p. 29), Wilamowitzius (ind. lect. Gotting. 1893/4 p. 13), post Gallorum in Graeciam invasionem exemplum eius compositum esse existimaverit, Ussingius (in Addendis editionis vol. II p. 587) et Franckenus (Over het origineel van Plautus' Aulularia, Versl. en Mededeel. 1882 p. 211 sqq.) Menandreum esse ideoque ante a. 291 factum contenderunt. Videamus igitur, quibus fundamentis utraque sententia nitatur.

Euclio ubi a foro domum suam advenit, coquorum sermone audito aulam auri plenam auferri opinans exclamat v. 394:

Apollo, quaeso, subveni mi atque adiuva,
Confige sagittis fures thensaurarios,
Cui in re tali iam subvenisti antidhac.

Sic traditum est, nisi quod pro *subvenisti* libri *subvenit*, pro

tali iam BD *talia*, I aperta coniectura *tali* habent. De utraque lectione nunc stat iudicium. Recte Kiesslingius contendit *cui* (v. 396) probari non posse, quia non habeat quo apte referatur. Ipse cum *quia* scripsit eoque nisus totum locum ad Gallos a. 279 apud Delphos victos spectare suspicatus est, coniecturam, si verum dicimus, coniectura eaque nequaquam certa fundavit. Sed ut lectionem eius aliquantisper agnoscamus, tamen de significatione, quam enucleasse sibi visus est, licet dubitare. Nolo equidem urgere, quod barbari fanum Delphicum re vera spoliaverunt*), at locus Plautinus ipse aliter comparatus videtur. Euclionis argentum est, quod Apollo ut defendat oratur, sicut aliorum quoque opes olim tuitus sit. Iam qui illi alii sunt? Graeci? At thesauri Delphici non Graecorum, verum Apollinis erant, suum templum ab hostibus defensurus fuit nec aliis subvenit, verum ipse a Graecis adiutus est (Paus. X 22, 12: *καὶ ὁ θεὸς σφᾶς οὐκ εἴα φοβεῖσθαι, φυλάξειν δὲ αὐτὸς ἐπηγγέλλετο τὰ ἑαυτοῦ. Οἱ δὲ ἀφικόμενοι τιμωρεῖν τῷ θεῷ κτέ.*). Noli enim opponere Pausaniam descriptionem suam petivisse ex Herodoto (VIII 36: *ὁ δὲ θεός σφεας οὐκ ἔα κινεῖν, φὰς αὐτὸς ἱκανὸς εἶναι τῶν ἑωυτοῦ προκατῆσθαι*): opes in templo Delphico collocatas Apollinis, non Graecorum esse communis omnibus sententia fuit (cf. e. c. Thuc. IV 118: *περὶ δὲ τῶν χρημάτων τοῦ θεοῦ*, Isocr. π. ἀντιδ. 232 *τῶν τοῦ θεοῦ χρημάτων*, Demophilus apud Athen. VI 232 d: *ἅπαντα τὰ τοῦ θεοῦ ἐξεκόμισαν*, Diod. XVI 60, 2: *φέρειν κατ' ἐνιαυτὸν τῷ θεῷ φόρον*, XVI 28, 3: *ἀξιοῦντες τοὺς Βοιωτοὺς βοηθεῖν αὐτοῖς τε καὶ τῷ θεῷ*, 28, 4: *οἱ μὲν γὰρ ἔκριναν βοηθεῖν τῷ θεῷ*). Deinde Kiesslingii coniectura *quia in re tali* non satis facit totius loci sententiae, siquidem scrupulus, quem tradita lectio *cui* iure ac merito ei iniecerat, non diluitur. Cuinam enim iam antehac Apollo subvenit? Si *quia* scribimus, illud enuntiatum referri nequit nisi ad Euclionem ipsum, sin aliis hominibus deus succurrit, postulamus, ut ei dativo aliquo indicentur. Quapropter facere non possum, quin Ussingii lectionem *si quoi* accipiam. Hoc si recte facio, sententia gene-

*) Testimonia collegit C. Wachsmuth, Hist. Zeitschr. X. p. 5.

ralis est nec ad certum quoddam exemplum quadrans, ut docent loci graecorum poetarum ab editoribus comparati, veluti Soph. O. R. 165, Hom. Il. V, 115, Arist. Ach. 405, Thesmoph. 1155, Nub. 356. Igitur Euclionis verba in quaestione nostra neglegamus.

Sed iam id Kiesslingii sententiae favere nonnullis visum est, quod coqui servi inducuntur, quos nisi a Posidippo usurpatos non esse Athenaei locus supra exscriptus testatur. Cui si fidem habemus, sequitur, ut Aululariae exemplum atticum non potuerit ante a. 290 doceri*), id quod ad Gallorum tempora optime convenit. Atque quin coqui re vera servi sint quamquam de foro conducti, dubitari nequit propter vs. 309 sq.:

Censen talentum magnum exorari pote
Ab istoc sene, ut det qui fiamus liberi?

nollem autem a nescioquo allatus esset v. 458: *lege agito mecum*; namque Euclio Congrionem servum esse ignorat. Deinde supra exposuimus Athenaeo fidem non prorsus abrogandam esse: immo eum Aululariae facile oblivisci potuisse, quoniam coquos non liberos esse uno tantum versiculo edocemur**). Quamobrem Posidippum huius fabulae auctorem esse libentissime crederemus, si cetera omnia huic opinioni convenirent.

At gravissima obstant. Notus est Choricii Gazensis locus (revue de philologie I p. 228), ubi cum aliae personae Menandreae laudantur tum Σμικρίνης ὁ δεδιὼς μή τι τῶν ἔνδον ὁ κάπνος οἴχοιτο φέρων, quocum interpretes comparaverunt Aul. v. 299:

Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quamquam haec similia potius quam eadem esse Ussingius observavit, cum apud Menandrum fumus ne quid auferat

---

*) Posidippum tertio post defunctum Menandrum anno primo fabulam dedisse Suidas auctor est. De Menandri aetate cf. Kaibelius ad inscr. Sicil. et Ital. 1184.

**) Nisi statuimus exemplari attico liberos coquos adhibitos fuisse, ut fecit Franckenus l. l. p. 215 sq.

senex vereatur, in Aulularia fumum ipsum exire lamentetur*), quam varietatem Plauti certo consilio an Choricii errori cuidam tribuam haereo. Deinde ex comparatis his locis propterea non nimium collegerim, quod quantopere graeci poetae praecipue comici alter ab altero pependerint nemo nescit, facile igitur Posidippus aliive illam senis avari descriptionem a Menandro mutuare potuerunt**).

Gravior videatur alia observatio, quam Franckenus l. l. fecit. In Theophrasti characteribus ὁ μικρολόγος describitur ..... οἷος ὀψωνῶν μηδὲν πριάμενος εἰσελθεῖν; cum igitur Euclio in scaena II, 8 a foro adveniat opsonio quippe nimis caro non coempto, affinitas inter hunc et Theophrasti locum tanta intercedere visa est Franckeno, ut poetam a philosopho expressum esse statueret. Hoc si recte fecit — atque mihi quoque olim persuasit, donec melius de ea re iudicare me docuit Wilamowitzius —, libenter concedimus auctorem fabulae Menandrum potius illius discipulum habendum esse quam alium quemquam. At sententia virum doctum fefellit. Theophrastus librum suum scripsit, cum bellum inter Polyperchontem regemque et Cassandrum aut gerebatur aut paulo ante gestum erat; cf. π. λογοπ. (8): διηγεῖται δὲ τούτους φάσκων λέγειν, ὡς Πολυσπέρχων καὶ ὁ βασιλεὺς μάχῃ νενίκηκε, καὶ Κάσσανδρος ἐζώγρηται, quae verba Droysenus quod Diad. II p. 82 ad expeditionem Polyperchontis et Herculis a. 310 inceptam rettulit propter sequentia: δυστυχὴς Κάσσανδρος! ὦ ταλαίπωρος! ἐνθυμῇ τὸ τῆς τύχης: satis temere iudicavit; Hercules Barsines filius numquam ut videtur βασιλεύς aut nominatus aut agnitus est nedum ab Atheniensibus Cassandro subiectis; deinde ne nimis longe ultra Antipatri tempora procedamus, certissime vetant verba π. ἀλαζ. (23): καὶ γράμματα δὲ εἰπεῖν ὡς πάρεστι παρὰ Ἀντιπάτρου κτέ. Itaque locus supra exscriptus regem significat aut Philippum Arrhidaeum aut Alexandrum Roxanes filium et pertinet ad Cassandri in Macedoniam expeditionem aut eam, quam Diodorus XVIII 75 (cf. Niesius p. 249) aut eam, quam XIX, 35, 36 (cf. Niesius p. 252) narrat. Malo illam,

*) *Ligillo* pro *tigillo* noli cum Franckeno scribere.

**) Sic Ribbeckius Agroikos (Abh. d. sächs. Ges. 1885) p. 21.

utpote in qua Polypercho Arrhidaeum circa se habuerit, cum in hac Alexander apud Olympiadem fuerit. Itaque Theophrastus Characteres condidit a. 317 vel 316 nec expressit Menandrum, quippe qui paulo ante demum coeperit fabulas docere. Ex media comoedia unum alterumve exemplum ab eo sumptum esse quamquam non is sum qui utique negem, tamen in universum certe ad vitae Atheniensium cotidianae exempla librum suum composuit, ut docet lepida Hermippi narratiuncula apud Athenaeum I 21 a. Novae deinde comoediae poetae facile exscribere potuerunt Theophrastum. Quae cum ita sint, affinitas quae inter Characteres et Aululariam intercedit, sic ut Franckenus voluit nequit expediri. Si libebit, statuas poetam philosophi librum ante oculos habuisse; sed mihi quidem similitudo tam levis videtur, ut nihil ex ea colligere ausim.

Ergo unum argumentum, quo nisus Aululariae exemplum Menandro ascribas, praebet Choricii locus; quod etsi solum per se non sufficit, tamen stare potest propter universam fabulae indolem, quam unusquisque Menandro dignam esse iudicabit. Re vera eius esse hanc comoediam non facile poterit negari, ubi eius aetate scriptam esse exploratum erit. Et hoc quidem priusquam Franckeni commentatiunculam legi, ex ceteris vestigiis, quae in illa insunt, studui expiscari atque eo perveni, ut tempus eius angustioribus finibus circumscribere posse mihi videar. Scaenae III, 5 prior pars Megadori secum sermonem complectens fuerunt quibus tota ad romanum poetam redire videretur, id quod nec demonstrari potest et per se veri dissimillimum est. Concedo vs. 494 sq. et 505 sqq. a Plauto additos esse, cetera sine dubio graecum ingenium redolent. Divites ne a divitibus ducerentur iam Platonem (Legg. VI 773 C.) dissuasisse animadvertit Visseringius (quaest. Plaut. II p. 101), dotatae uxores in tota comoedia attica maritis odio sunt, luxuriam vero mulierum iam in attico exemplo descriptam fuisse, quamvis multa assuerit Plautus, sine ulla dubitatione contendo propter vs. 503 sq., quos si hic fecisset, non *moribus praefectum mulierum* scripsisset, verum *censorem*. Expressit igitur γυναικονόμον. Iam vero hos versus Athenis

nullus poeta senem pronuntiantem facere potuit Posidippi temporibus, cum magistratus ille Atheniensibus invisus iam a. 307 sublatus fuerit. Ergo Aululariae exemplum Demetrii Phalerei Athenarum praefecti aetate doctum est. Eodem refero, quod v. 107 *magister curiae**) pecuniam inter pauperes cives divisurus esse fertur, id quod multo facilius opulenta beneque administrata re publica fieri potuisse quam cum opes eius perpetuis bellis inde ab a. 307 gestis exhaustae erant, nemo infitiabitur.

Porro quaeramus, quando acta sit

Rudens.

Per Arcturum, qui prologi vice fungitur, edocemur fabulam Diphileam Cyrenis agi, adulescentem Atheniensem ibi fidicinam a lenone emisse, hunc autem suadente hospite scelestissimo Agrigentino navem clam conscendisse, ut in Siciliam veheretur; nam

ibi esse homines voluptarios
*Dicit, potesse divitem ibi eum fieri***),
Ibi esse quaestum maxumum meretricibus

(vs. 54 sqq., cf. 541). Ex his ni fallor colligere possumus bella in Sicilia per diadochorum saeculum gesta, cum Diphilus fabulam suam conderet, aliquantum temporis composita fuisse, nam vix sapienter fecisset Labrax, si eo profectus esset, cum aliae insulae partes populatae essent, aliae exercitibus hostilibus premerentur, aliis impetus imminerent, nulla pacis tranquillitate se diutius usuram esse posset exspectare. Immo tum quidem facile potuit eum poeta Tarentum vel aliam in urbem fingere navigantem. Relegamur igitur ad seriora Agathoclis tempora, quibus non iam de Syracusarum imperio bellabatur et Siciliae, verum exteris terris, Bruttiae Lucaniae Corcyrae

---

*) Qui significetur, non prorsus certum est. Facilius cogitari potest de phratriarcho, si Demetrii aetate Phalerei, quam si post a. 279 scriptam esse fabulam statuimus (cf. Wilamowitzius, Aristoteles und Athen II p. 215).

**) Sic probabiliter scripsit Seyffertus apud Sonnenscheinium.

signa inferre coeperat. Ante a. 317 Rudens certe non docta est; nam praeterquam quod tum quoque in Sicilia pugnabatur, v. 746:

*quid mea refert Athenis natae haec an Thebis sient?**)

Diphilus scribere non potuit, nisi Thebae dudum redintegratae erant. Quamquam priora tempora spectare videtur Stratonici citharoedi nobilissimi mentio (v. 932, cf. Athen VIII 348 sqq., Ostermayerus l. l. p. 60, Wilamowitzius in ind. schol. Gott. 1893/4 p. 16); sed ille praesertim Atheniensis etiam multis annis post spectatoribus notus esse poterat.

Porro adtendenda sunt verba, quae Gripus, ubi vidulo reperto quae sibi sors futura sit animo cogitat, effundit (vs. 919 sqq.). Quamquam enim in v. 931 *rex* nihil aliud significare videtur nisi divitem hominem, id quod et antecedentia verba arguunt et totus sententiarum ordo, tamen v. 935 aperte docet regna iam exstare et Antigonum Cassandrum Ptolemaeum Lysimachum Agathoclem regum titulos usurpasse; praeterea quod Gripus dicit: *Oppidum magnum communibo, ei ego urbi Gripo indam nomen Monumentum meae famae et factis*, non videtur Alexandreas illas multas spectare, nam expressis verbis addit: *ibi regnum magnum instituam*, id quod non convenit urbibus ab Alexandro Magno conditis: spectat potius Antigoneam Cassandream Lysimacheam Amastridem alias. Ergo haec quoque dissuadent ne Rudentem ante a. 303, quo Agathocles totius fere Siciliae dominatum obtinuit, Athenis doctam esse statuamus. Vix potuit agi post a. 289, nam tum rursus in Sicilia perpetua bella civium sese exceperunt et cum popularibus et cum barbaris gesta, quibus factum est, ut insula paulatim sub Carthaginiensium imperium veniret, donec Syracusani Pyrrhum auxilio vocaverunt. Hierone autem duce etsi Sicilia rursus effloruit, tamen vix statuere licet etiam tum Diphilum fuisse. Admodum igitur probabile arbitror Rudentis exemplum doctum esse intra annos 303 et 290.

Quomodo Diphilus fabulam inscripserit, ignoramus: nam Schoellii opinio, qui in mus. Rhen. XLIII p. 298 Πήραν eam

---

*) Secutus sum Schoellium.

nominatam fuisse censet, nobis nequaquam probatur. Satis profecto leve est, quod leno a Gripo v. 1303 appellatur: *Di te ament cum inraso capite;* hominis caesariati cum stella crinita comparatio ne romanos quidem spectatores non valde oblectare potuit, non igitur est, cur Diphilus eam praeterisse putetur; denique ipsum illud Πήρα minime convenit vidulo, quem piscator e mari extrahat, nam perae scorteae erant et a viatoribus adhibebantur victui adservando, vidulus vero graece est κιβώτιον vel κίστη. Nollem autem Schoellius attulisset vs. 547 sq. et 1313, quorum illi marsuppium in Charmidae pera fuisse docent, hic et sequentes Labracis marsuppium pasceolum cruminam cantharum alia in vidulo.

De ceteris Plauti fabulis firmam sententiam quo minus possimus proferre, impedit testimoniorum penuria. Primum quaeramus de

Mostellaria.

Ex Philemonis Phasmate eam expressam esse post Ritschelium docuit Leo in Hermae vol. XVIII p. 561. Deinde ansam praebent Tranionis verba v. 775:

Alexandrum Magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo res gessisse,

quae nempe aperte monstrant Agathoclem mortuum esse, neque enim de eius in Africam transitu, ut in Pseudolo, potest cogitari, quoniam Tranio addit:

quid mihi fiet tertio,
Qui solus facio facinora immortalia?

i. e. Alexander Magnus et Agathocles maximas atque clarissimas res gesserunt, immortales ego solus perficio. Phasma igitur scripta est post a. 289, quocum congruit, quod in v. 1149 rectissime a Leone emendato Philemo non Menandri tum defuncti, verum Diphili mentionem facit (quamquam eius rei aliae causae excogitari queunt). Potuit fabula doceri a. 288 et 287, deinde, siquidem inde ab a. 287 usque ad a. 283 Athenienses cum Antigono bellum gerebant, a. 280 et 279 et postea usque ad Diphili mortem, cuius tempus ignoramus.

Transeamus iam ad

Asinariam,

quam ex Demophili cuiusdam Onago translatam esse prologus Plautinus docet et hodie omnes excepto Kockio (Com. Att. II p. 559) inter se consentiunt. Quando ille fuerit, traditum non est; nam qui olim eius vestigium in titulo Piraeensi novae comoediae poetarum nomina continente indagasse sibi visus est Bergkius, ipse postea suo iure aliter iudicavit (opusc. II p. 485, id quod fugit Susemihlium in hist. litt. alex. I p. 262). Egomet ut nihilo minus credam Onagum eodem fere tempore quo ceteras palliatas compositam esse, id quod vel per se veri simillimum est, singularis fabulae inventio me commovet. Senes filiis amantibus adversarii ut a servis callidis decipiantur, in nova comoedia celeberrimum est. quodsi Demaenetus vs. 78 sq. et Libanus vs. 256 sq. ab hac vulgari regula sese recessuros esse profitentur, eam iam satis tritam fuisse haud immerito concludemus. Adde, quod vs. 68 sqq. ad Menandrei saeculi fabulas spectant, totum vero argumentum sumptum est e vita cotidiana. Sed haec fortasse non nimii pendes, multo graviores sunt vs. 712 sqq.:

Si quidem mihi statuam et aram statuis
Atque ut deo mi hic immolas bovem: nam ego tibi
Salus sum e. q. s.

Divinos honores quod servoli sibi poscunt, in eo magna inest vis comica, potuisse flagitare antequam re vera homines mortales deorum instar haberi coepti sunt, praefracte nego. Libanus Salutis numen sibi imponit. Σωτῆρες Ptolemaeus Lagi filius, Antigonus Monophthalmus, Demetrius Poliorcetes iam vivi appellabantur, ut deum iam Alexandrum Magnum adorabant Persae. Res plane similis, verum multo etiam manifestior quam quod Pseudolus magna se facinora decere efficere praedicat, quae post sibi clara et diu clueant: conferas quaeso, quae in prooemio exposuimus.

Iam autem mercator Pellaeus, qui Athenas venit pecuniae solvendae causa, et Periphanes dives mercator Rhodius (vs. 449 sqq.) nihil efficiunt nisi ut Graeciam septentrionalem et

mare Aegaeum pacata fuisse, cum Ὀναγός docebatur, Athenienses cum Macedonibus bella non gessisse videamus. Atque de Demetrii Phalerei Athenarum praefecti temporibus cogitare non sinunt Σωτῆρες, ad quorum exemplum Libanus et Leonidas ut sibi Argyrippus supplicet postulant; itaque scribi potuit fabula, ex quo Demetrius Macedoniae regnum adeptus est; quocum congruunt quae de Demaeneto et Libano a vulgari comoediarum usu iam nimis trito recedentibus supra adnotavimus. Cum autem nullum aliud testimonium in ea insit, plane videtur desperandum esse de eius aetate certius definienda. Subsequatur igitur

Persa.

De hac fabula egit Wilamowitzius in ind. schol. Gotting. 1893/4 p. 13 sqq. et vereor ne rectius quam antea ego feceram. Inde enim egressus eram, quod in attico exemplo Saturionis filia non ut furtiva, verum ut captiva proposita fuit lenoni*) eaque re nisus statueram illud eo tempore doctum esse, quo Persae re vera contra Arabes belligeraverint. Cum igitur de Persarum regis cum eis bellis nihil sciamus, ut non negaveram de mediae comoediae temporibus posse cogitari, ita multo probabilius mihi visum erat poetam expeditionem significasse a Demetrio Poliorceta a. 312 **) adversus Nabataeos factam. Sed incertum est, utrum bellum vere gestum fabulae adhibuerit an confictum, nec iam dubito quin hoc facere potuerit, praesertim cum procul a Graecia a Persarum rege cum vicinis barbaris gestum esse sumeret idque eo consilio, ut deciperetur stultus leno. Deinde offensioni mihi fuerat, quod non tam rex quam Persae bellare dicuntur, cum Graecus

---

*) Cf. Epimetrum.

**) Niesius p. 299 eam a. 311 factam esse statuit, minus probabiliter quam Droysenus, etsi certo nequeo tempus definire. Seleucidarum imperii aetas numerabatur a Kalendis Octobribus anni 312 (cf. Idelerus, Chronol. I p. 451); igitur ni fallor tunc ipsum Seleucus terras suas recuperaverat Nicanore devicto, cum Demetrius signa intulit Nabataeis. Nicanoris nuntii Antigonum offenderunt in meridionali Phoenicia commorantem.

nemo unquam locutus sit de Persarum, verum de βασιλέως expeditione; at nescimus an in graeca fabula haec potius commemorata fuerit, fortasse regis ipsius addito nomine; pro quo Plautum, cum Persa quidam in exemplo suo inductus fuerit ex Persia Athenas profectus, facile putabimus substituisse nomen Persarum. Denique statueram Persiam interiorem Asiae partem etiam post Alexandri tempora et Persas Antigoni milites, qui ex hac regione coacti essent, potuisse nuncupari; sed haec mera coniectura est eaque parum probabilis*). Accedit, ut Athenienses de Demetrii contra Nabataeos expeditione certiores fieri non potuerint ante ver vel aestatem anni 311; cum igitur iam antea Seleucus interiore Asia potitus sit, eo minus credibile est milites Antigoni a. 310 Athenis Persas esse nominatos. Quae cum ita sint, Wilamowitzio assentior Persam mediae comoediae fabulam esse Demosthenica aetate scriptam; certore temporis definiendi subsidio destituti sumus, quoniam saltatorum Diodori et Hegeae memoria oblitterata est (cf. vs. 824 sqq.).
Huic fabulae adiungatur

Amphitruo.

Argumentum ex nobili de Herculis partu fabula petitum est. Fabulares autem res ut Antiphanis potissimum aetatis poetis tractabantur, ita ne a nova quidem comoedia alienas fuisse docent v. c. Philemonis Palamedes, Diphili Danaides et Theseus, Apollodori Amphiaraus. Deinde huic potius generi fabulam, de qua agitur, ut ascribamus cum vs. 987 sq. suadere puto tum quod poeta, quantum quidem perspicere possumus, soli argumento pertractando operam dedit nec usquam res Thebanorum, quas imprimis a comicis Graecorum poetis risas esse notum est, perstrinxit. Rem conficit descriptio proelii cum Telebois commissi (vs. 202 sqq.), quam nuper Wilamowitzius in Euripidis Hercule II p. 242 ad Alexandri

*) Persae, quibuscum Seleucus a. 312 conflixit (Diod. XIX 92, 4), procul dubio Persidis provinciae incolae fuerunt, qui sub Nicanore satrapa militaverunt, cf. Diod. XIX 92, 1.

Magni rationem proeliandi spectare luculenter exposuit. Quamquam enim et Lorenzius (in praef. ad Pseud. p. 55) et Langenus (Plaut. Stud. p. 92) eam Plauti potius ingenio forti et bellico deberi contenderunt, tamen vs. 256 sqq. iam Schusterus l. l. p. 10 ad atticum exemplum rectissime rettulerat et Wilamowitzii de equitum a dextro cornu impetu simplex adnotatio tam manifeste vera est, ut omnino inutile videatur adversariorum opinionem pluribus refellere. Quare non dubitandum est, quin Amphitruo novae comoediae fabula sit. Plus nequimus enucleare.

Denique de Cistellariae exemplari, quod cum plerisque et ipsi Menandreum existimamus (cf. vs. 87 sqq. cum Men. frg. 558), supra pauca adnotavimus, de Philemonis autem Emporo et Diphili Clerumenis, ex quibus Plautinae Mercator et Casina expressae sunt, omnibus certioribus testimoniis sumus destituti.

In fine huius opusculi uno in conspectu iuvat proponere, quae de singularum fabularum, ex quibus Plautinae expressae sunt, aetatibus enucleata sunt. Mediae comoediae una Persa est, Demosthenis aetate scripta nescio quo anno, ex ceteris ad Demetrii Phalerei Athenarum praefecti tempora certe pertinent Pseudolus anno aut 309 aut 308 et Luscii Lanuvini Thesaurus intra annos 310 et 308 graece scriptae et Aularia, cuius aetatem ceteroquin in medio relinquere debuimus, pertinere videntur Curculio a. 310 vel 309 et Bacchides intra annos 316 et 307 doctae. Minus certa res est de Captivis, quam paulo post a. 314 conditam esse iudicavimus. Deinde Stichus a. 306 data est, cum Demetrius Poliorcetes Athenis commorabatur. Truculentus nisi fallimur paulo post eversum Antigoni regnum intra annos 299 et 297, Miles aut a. 299 aut, id quod praetulimus, a. 287, Rudens intra annos 303 et 290. De Epidico parum certum visum est, utrum de Thebarum expugnatione a. 293 an a. 290 facta cogitandum sit, scribi potuit inde ab a. 292 usque ad a. 287: intra eosdem terminos Trinummum conditam esse statuimus. Tum Mostellaria doceri potuit Diphilo superstite aut a. 288 aut a. 287 aut a. 280 et sequen-

tibus, Asinaria, ex quo Demetrius Poliorcetes regnum Macedoniae adeptus est. Poenulus post mortem Apellae pictoris. Recentissima ex iis, de quarum temporibus certi aliquid statui potest, Menaechmi videtur Hierone Syracusarum rege nisi fallimur ante primi belli Punici initium scripta. Porro quod ad Amphitruonem pertinet, id unum certum est, ductam esse fabulam diadochorum aetate, de Cistellaria, quae Menandrea videtur, Mercatore Philemonea, Casina Diphilea, denique de ea commoedia, quam Plautus Carchedonio admiscuit, plane nihil potuit enucleari.

Addendum ad. p. 34:

Fugerat me Alexidem quoque Carchedonium condidisse. Eo magis igitur dubia res de attico Poenuli auctore.

Epimetrum.

Wilamowitzius in commentatione, quam compluries supra laudavimus, indici scholarum Gottingensium a. 1893/94 praemissa p. 13 sqq. Persae et Epidici aetates definire studuit, de illius praeterea fabulae compositione primus omnium ita egit, ut ratio postulat: secrevit ea, quae ad res romanas, ab eis, quae ad graecas spectant, quaesivit, quae exemplaris partes Plauto mutandae fuerint, atticam fabulam restituere conatus est atticis rebus pro romanis substitutis. Casu factum est, ut ego eodem tempore in easdem comoedias inquirerem. Atque de Epidico quae expiscatus sum, ubi primum otium erit, publicabo — magno autem opere dissentio ab eis, qui de eius compositione adhuc egerunt —, ad Persam quod attinet, unum vitium fugit Wilamowitzium, quod et ipsum a romano poeta admissum esse nunc meum est demonstrare.

Summa argumenti in eo versatur, ut parasiti filia lenoni tamquam ex penitissima Arabia abducta venum detur; quaero iam, qualem poeta virginem finxerit. Atque primum si epistulam inspicimus, legimus v. 506:

Chrysopolim Persae cepere urbem in Arabia
Plenam bonarum rerum atque antiquom oppidum,
Ea comportatur praeda, ut fiat auctio
Publicitus;

paulo infra v. 520:

Iste qui tabellas adfert, adduxit simul
Forma expetunda liberalem virginem
Furtivam, abductam ex Arabia penitissuma.

Haec quanto opere inter se distent in propatulo est. Si virgo per praedones ex Arabia abrepta fingebatur, non opus erat expeditione Persarum, si Persae bellum gerebant contra Arabes, puellam a Sagaristione ut captivam satius fuit proponi. Illud si exemplari attico vindicamus, iure et merito Dordalus decipitur utpote prae lucri cupiditate omnem pudorem relinquens, sin hoc, licitum fecit nec nisi quia leno est ludificatur. Sed ex talibus deliberationibus concludere, quid genuinum, quid

suppositicium sit, nimis periculosum est; leno in comoediis semper male tractatur, etiamsi nihil deliquit, ut in Poenuli priore parte, itidem leno apud Herodam (mimiamb. 2) metuit ne causam perdat. Non plus valet, quod *Chrysopolis* fictum nomen est et excogitatum ad divitias urbis illustrandas; namque hoc et atticus et romanus poeta facere potuit; et licet hic fecerit, non ideo tota contra Arabes expeditio necessario ad eundem referri debet. Gravius aliud putes. Num enim consentaneum videtur lenonem virginem ingenuam et liberalem bello captam meretricem facturum esse? Nusquam in palliata comoedia meretrices comparent, quae captivae coeperint quaestum corpore facere, verum semper aut a praedonibus raptae ut in Rudente Poenulo Curculione Eunucho aut expositae ut in Cistellaria et Heautontimorumeno. Tamen ob hanc causam de captiva virgine dubitare non ausim, siquidem vendita ne meretrix fiat, cautum est a patre. Hanc re vera exemplari adhibitam fuisse inde forsitan concluseris, quod furtiva arte cohaeret cum emptione sine mancupio facta, quam cum ad ius romanum spectet a Plauto additam esse constat. Sed ne inde quidem per se certi quicquam colligi potest, quoniam poeta Umber scrupulos lenoni propter furtivam puellam iam in attico exemplari ortos augere poterat suo invento. Nimirum contra attuleris dubitationes Dordali non tam eo videri pertinere, quod puella rapta, quam eo, quod sine mancupio emenda est, raptas enim, praesertim ex terris transmarinis, saepius a lenonibus emi insigni documento sunt Plautinae Rudens Poenulus Curculio.

Iamne igitur censebimus virginem et captivam et furtivam graeco Persae exemplo adhibitam fuisse? Res ni fallor singulis scaenis accurate consideratis patefiet. In epistula expeditio contra Arabes facta ob id solum commemoratur, quo melius erum Toxili etiam diutius afuturum esse explicetur, id quod ut ad argumentum huius fabulae nullo modo pertinet — neque enim quisquam reditum Timarchidis exspectat — ita forsitan aequo animo patiamur. Virgo ipsa in epistula furtiva significatur et sic etiam in reliquis huius scaenae versibus lenonem cunctantem describentibus; legimus v. 541:

Ne quis vero ex Arabia penitissuma
Persequatur;

v. 545: *Haccine illa est furtiva virgo?**)

Iam si totam proximam scaenam inspicimus, furtivae virginis nec vola nec vestigium comparet: immo captivam monstrant et v. 618:

Ita pol spero, si parentes facient officium suum,

quem etsi aperte spectat ad scaenam IV, 9 leno non potuit intellegere nisi de muliere bello capta, quandoquidem furtivam pater non redemisset, verum si non ipse at per civem aliquem in libertatem vindicasset, et v. 653:

meus pater, ubi me sciet
Venisse huc, ipse aderit et me abs te redimet

et v. 644: *Captusne est pater? Non captus, sed quod habuit, perdidit;*

diserte igitur hoc loco respicitur bellum v. 506 laudatum. Postea in scaena IV, 7 rursus rapta puella dicitur v. 715 et sic quidem, ut Dordalum ad vs. 524 sq. a Plauto additos spectare eluceat. Videmus igitur non solum puellam duplici ratione in hac fabula descriptam, verum etiam duas eius species singulis in scaenis diserte inter se esse separatas. Itaque vel ideo utramque ab attico poeta confictam esse noli credere. Iam scaenam IV, 4 ex exemplari expressam esse quovis pignore potest sponderi; in se perfecta est atque absoluta optimeque morata, atticam fabulam redolet vel „tragica et Euripidea dictio, quae comparet in omni virginis sermone" (cf. Wilamowitzius p. 25), contra scaenae proximae (IV, 3) eas partes, de quibus agitur, propter vs. 530 sqq. certe a Plauto ipso factos suspicionem movere supra monuimus. Quare non dubitandum esse mihi videtur, quin atticus poeta fabulae argumentum eius modi fecerit, ut puellam in expeditione Persarum contra Arabes captam et Athenas advectam esse, ut ibi veniret, Toxilus finxerit. Furtivam cum Plautus adsuit, hanc comoediam sane non reddidit meliorem.

---

*) Neglexi vs. 530 sqq., qui ad Plautinum additamentum vs. 524 sq. pertinent.

Index fabularum.

Index rerum.

Vita.

Natus sum Fridericus Albertus Hueffner Forestae Lusatorum anno h. s. LXXII die vicesimo mensis Aprilis patre Friderico matre Theresia e gente Ruediger, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus vere anni 81 adii progymnasium patriae meae, quod Ferdinandi Zitscheri benignissimi studiorum meorum fautoris auspiciis florebat et nunc floret. Vere anni 87 in discipulos gymnasii Gubenensis receptus sum directore Hamdorffio, unde biennio post ut studiis philologicis operam darem Almam Matrem Gottingensem petivi, cuius etiamnum sum civis. Docuerunt me viri doctissimi:

Bechtel, Baumann, Cohn, Dilthey, Dziatzko, Gercke, Kielhorn, Kluckhohn †, Knoke, Leo, G. E. Mueller, Peipers, Roethe, Smend, Sauppe †, Volquardsen, Weiland, Weiss, de Wilamowitz-Moellendorff.

Regii philologorum proseminarii per duo, seminarii per quattuor semestria sodalis fui (per duo senior). Ad exercitationes philologicas Leo et de Wilamowitz, archaeologicas Dilthey, historicas Volquardsen, palaeographicas Dziatzko aditum mihi benignissime concesserunt.

Omnibus illis viris, qui me docuerunt, iustas ac debitas gratias semper habebo, quam maximas autem Friderico Leoni et Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, quorum ille non dedignatus est huius opusculi plagulas corrigendi laborem suscipere, uterque vero quanta cum benevolentia atque humanitate omnibus in rebus inde a studiorum initiis me et opera et consilio adiuverint nisi qui ipse expertus est aestimare nequit.

Officina academica Dieterichiana typis expressit. W. Fr. Kaestner.